QVAESTIONVM
ET
RESPONSIONVM
CHRISTIANARVM
Libellus.

IN quo præcipua Christianæ Religionis capita κατ' ἐπιτομὴν proponuntur.

THEODORO BEZA VEZELIO AVCTORE.

EDITIO SECVNDA.

APVD I. CRISPINVM.
M. D. LXXI.

ORNATISS. VIRO,

ERVDITIONE ET VIRTVTE *præstanti, D. Io. C. P. Domino & amico plurimùm obseruando. Th. Beza. S. P. D.*

EN tibi ἀντίδωρον minimè quidẽ ἀντάξιον, sed cuiusmodi à me proficisci potest, quod tamẽ esse velim meæ in te obseruantiæ μνημόσυνον, & quasi ἀταλμάτιον tibi merito tuo consecratũ. Causam autẽ huic qualicunque scriptioni partim præbuerunt amici dũ varia ex me percontãtur, partim ipsemet de multis dubitãdo velut accersiui. Etsi enĩ illa Academicorũ ἀκαταληψία nostræ persuasioni ex diametro repugnãs, ex Ecclesia prorsus explodẽda est, & inanis curiositas valde reprehendẽda:

in hac tamẽ humani iudicii imbecillitate iudico dubitare de rebus neceſſariis & vtilibus nõ tãtùm licere, verũ etiã oportere, modò eorũ ſimiles nõ ſimus quos dicere conſueui ſemper quærere vt nũquam inueniant. Hunc igitur & in quærendo & in reſpõdendo modũ an ſatis ſeruarim, tu pro acerrimo tuo iudicio æſtimabis. Velim enim à te in hoc meum ſcriptum quàm diligentiſsimè & quàm ſeueriſsimè inquiri, vt hoc ſit nouũ quoddã referẽdæ gratiæ genus. ſiquidem ita fiet vt tu quidẽ à me pro veteribus beneficiis nihil referas, ego verò nouũ à te beneficiũ & quidẽ ſummũ accipiã, quo nimirũ & melior & doctior euadam. Bene vale. Geneuæ Idibus Februarii, anno nouiſsimi temporis M. D. LXX.

SVMMA CAPITA

QVAESTIONVM ET RESPONSIONVM ORDINE Alphabetico.

A

ADAM ante peccatum ne cogitauit quidem de malo 52 & 53
christus cur secundus Adam vocatus 79
donum spiritus Adoptionis ἀμεταμέλητον 155
deus Agit in bonis & per bonos: per malos verò vt agat non tamen agit in malis 113 & 114
boni ipsi Angeli, & qui in vitam æternam colligentur non propriè immutabiles 117
malorum Angelorum vitium οἰκεῖον irrepsit, hominum verò ξένον 118 & 119
Anima non est ex traduce 58 & 59
Arbor scientiæ boni & mali cur sic vocata 53
Ascensio Christi in cælum & cur 15 & 16

B

BEatificationem an plenè definiat remissio peccatorum 102 & 103
Bonum est etiam vt mala sint 113
Bona opera cur bona 101

C

CAro quid 84
Christus cur Deus 6

Christus non esset nobis plena iustificatio si tantùm passus esset pro nostris peccatis 72
Christus nos non deseruit 24 & 25
Christus noster est, nec tamen sumus ipsius domini 61
Christus à suæ conceptionis momento perfectè iustus etiam quatenus homo 73 & 74
quæ Christi sunt non vniusmodi sunt 66 & 67
quæcunque in Christo percipimus ad quatuor capita reuocantur 71
Christus cur damnatus & crucifixus 11 & 12
Coactio & necessitas differunt 52
qualis Deus ad salutem Cognoscendus 5
Cõmunicatio Christi cur spiritualis dicatur 62 & 63
ex Christo nobiscum Communicato quid percipiamus 66 & 67
Cõmunicatione Christi quid intelligatur 60 61 & 62
Corpus quare cum anima damnetur 39 & 40
Corpus Christi verè nunc à nobis absens 15
essentialis Corporis Christi proprietas 17
Corruptio non est in ipsa animi essentia 43 & 44
Corruptio quomodo in animam peruaserit 59 & 60
Corruptio quomodo citra Dei decretum non incidit, nec tamen Deus illius author 116 & 117
homo totus corruptus 43
homines Corrupti non tamen sunt stipites 48 & 49
Credendi conditio pendet à decreto: non autem decretum à credendi conditione 142
verus Cultus Dei 1

D

DAEmonia, nec homines quanuis corrupti, eximuntur à decreto Dei ἐνβρητικῶς 107
Damnationis reproborum causæ sunt in ipsis, non in Deo, quanuis præter ipsius decretum non damnentur

nentur 137
Decretum eſt cauſa fidei efficiens, corruptionis verò & incredulitatis non item, ſed potius deficiés 144
Decretum ab executione ſiue exitu decreti diſtingui debet 144 & 145. 148 & 151
inter Decretum & decreti executionem tum in electis tum in reprobis quæ cauſæ mediæ intercedant 152 & 153
Decretum Dei in malis non agendo, ſed deſerendo interuenit 118
Decretum Dei eſt rerum omnium neceſsitas, nec tamen Deus vnquam vult iniquitates 125 & 126
Deus in primario ſuo decreto non ordinat aliquid quia iuſtum ſit. ſed potius aliquid ideo iuſtum eſt quia Deus illud ordinat 146
Deus non ſimili ratione approbat quicquid vult 126 & 127
Deus quomodo malis inſtrumentis præcipere dicatur 131 & 132
Deum velle omnes homines ſaluos fieri, quomodo intelligendum ſit 138 & 139

E

Electi reipſa neceſſariò bonis operibus ſtudent 150 & 151
qui nondum reipſa Electus eſt, non tamen neceſſariò eſt ex Reprobis. & huic tentationi quomodo occurrendum 158
Electio neceſſariò eſt particularis 140 & 141
Electio ex quibus argumentis intelligatur 153 & 154
non omnis Electio eſt media inter bonum & malum 51
tentationi de Electione quomodo reſiſtendum 155 & 156

Christus non esset nobis plena iustificatio si tantùm passus esset pro nostris peccatis 72
Christus nos non deseruit 24 & 25
Christus noster est, nec tamen sumus ipsius domini 61
Christus à suæ conceptionis momento perfectè iustus etiam quatenus homo 73 & 74
quæ Christi sunt non vniusmodi sunt 66 & 67
quæcunque in Christo percipimus ad quatuor capita reuocantur 71
Christus cur damnatus & crucifixus 11 & 12
Coactio & necessitas differunt 52
qualis Deus ad salutem Cognoscendus 5
Cõmunicatio Christi cur spiritualis dicatur 62 & 63
ex Christo nobiscum Communicato quid percipiamus 66 & 67
Cõmunicatione Christi quid intelligatur 60 61 & 62
Corpus quare cum anima damnetur 39 & 40
Corpus Christi verè nunc à nobis absens 15
essentialis Corporis Christi proprietas 17
Corruptio non est in ipsa animi essentia 43 & 44
Corruptio quomodo in animam peruaserit 59 & 60
Corruptio quomodo citra Dei decretum non incidit, nec tamen Deus illius author 116 & 117
homo totus corruptus 43
homines Corrupti non tamen sunt stipites 48 & 49
Credendi conditio pendet à decreto: non autem decretum à credendi conditione 142
verus Cultus Dei 1

D

DAEmonia, nec homines quanuis corrupti, eximuntur à decreto Dei ἐνβρητικῶς 107
Damnationis reproborum causæ sunt in ipsis, non in Deo, quanuis præter ipsius decretum non damnentur

nentur 137
Decretum eſt cauſa fidei efficiens, corruptionis verò & incredulitatis non item, ſed potius deficiés 144
Decretum ab executione ſiue exitu decreti diſtinguidebet 144 & 145. 148 & 151
inter Decretum & decreti executionem tum in electis tum in reprobis quæ cauſæ mediæ intercedant 152 & 153
Decretum Dei in malis non agendo, ſed deſerendo interuenit 118
Decretum Dei eſt rerum omnium neceſsitas, nec tamen Deus vnquam vult iniquitates 125 & 126
Deus in primario ſuo decreto non ordinat aliquid quia iuſtum ſit. ſed potius aliquid ideo iuſtum eſt quia Deus illud ordinat 146
Deus non ſimili ratione approbat quicquid vult 126 & 127
Deus quomodo malis inſtrumentis præcipere dicatur 131 & 132
Deum velle omnes homines ſaluos fieri, quomodo intelligendum ſit 138 & 139

E

Electi reipſa neceſſariò bonis operibus ſtudent 150 & 151
qui nondum reipſa Electus eſt, non tamen neceſſariò eſt ex Reprobis. & huic tentationi quomodo occurrendum 158
Electio neceſſariò eſt particularis 140 & 141
Electio ex quibus argumentis intelligatur 153 & 154
non omnis Electio eſt media inter bonum & malum 51
tentationi de Electione quomodo reſiſtendum 155 & 156

Eſſentia Dei quid 3
Exitium reproborum non eſt vltimus finis Deo propoſitus 138
Exitio deſtinati nunquam poſſunt nec volunt bene agere 150
Exitio deſtinati neceſſariò quidem pereunt, ſed ſua ipſorum culpa 151

F

FIdes non omnibus datur, imò ne offertur quidem 105
vera Fides dari non poteſt in quoquam ſine operibus 96
Fides penitus à gratia eſt 42
Fides quomodo imputetur ad iuſtitiam 69
Fides quomodo præcedat Chriſti apprehenſionem, & tamen ſit Patris donum in Chriſto 70 & 71
vera Fides & perſeuerantia ſemper cohærent quauis non ſine interruptione 156
nec Fidei nec corruptionis præuiſio decretum prædeſtinationis antegrediuntur, ſed conſequuntur 143.144.148 & 149
Filius Dei quomodo factus homo 7
Filius Dei Deus quomodo mortuus 6
Filius ſolus pro nobis incarnatus 6
Filij Dei quomodo non peccent 84
Finis hominis 1

G

GLoria ſanctorum impar 98
Gratia poſterior non tribuitur poſteriore merito 56

H

HOrologij rotarum cum prouidentia Dei & mediis omnibus cauſis ſubiectis cõparatio 108
Hypoſtatica vnio 7 & 8

I

IDiomatum communicatio quid, & quomodo intelligenda 19.20.21 & 22
deus vnus immutabilis naturæ 117
chriſtus nõ ſibi ſed nobis Impleuit legẽ 75.76 & 77
perſonæ noſtræ deo gratæ Imputata naturæ noſtræ in Chriſto ſanctificatione 80 & 81
Imputatio quid 67
Incarnatio Chriſti aliud eſt quàm noſtra cum illo vnitio 64 & 65
Inſtrumenta intelligentia ſic ſunt ſuperioris cauſæ agentis inſtrumenta vt ſint ſuarum actionum principia 109
Intelligentia & voluntas quomodo in homine corruptæ 46 & 47
ſpiritus ſanctus quomodo Intercedat 36
chriſti Interceſsio qualis 25 & 30
chriſti Interceſsio quomodo perpetua 36
Inuocatio Angelorum & mortuorum Sanctorum & falſa & impia 32.33.34 & 35
Iudicium quomodo in vltimum diem dilatum dicatur 37
chriſtus quomodo factus nobis Iuſtificatio 72
Iuſtitia Dei quid 81 & 82
Iuſtitiæ nomine Chriſti nobis imputatæ quid intelligatur 73 & 74
Iuſtitia & miſericordia Dei quomodo in ſalute noſtra cõcurrant 5 & 6
Iuſtitia aliena quomodo iuſti ſimus 67
Iuſtitia inhærens quatenus imperfecta, peccatum eſt 89

L

LEgem pro nobis impleuit Christus pro nobis patiendo 75
Liberum arbitrium quomodo concedendum & quomodo negandum 49

M

MAla etiam quatenus in seſe mala, habent bonitationem Dei ordinantis reſpectu 124
lapſus Malorum Angelorum & hominis quomodo neceſſarius, nec tamen Deus illius culpam ſuſtinet 118 & 119
Maſſæ nomine quid apud Apoſtolum intelligatur 148 & 149
chriſtus quanuis Mediator non tamen inferior Patre 27 & 28
chriſtus ſecundum vtramque naturam Mediator 28 & 29
chriſtus Medius, aliud quàm Mediator 27
chriſtus Medius & Mediator 27
Membra corporis Chriſti ex eius carne & ex eius oſsibus quo ſenſu fieri dicamur 64 & 65
Mercedis nomen non præſupponit meritum coram Deo 93
Meritum nullum eſt ex condigno 93
Miſericordia Dei quid 5
à Chriſto redempti cur Moriamur 12 & 13
cur Mors æterna eorum dicatur qui nunquam morientur 38
Mors prima non eſt à natura ſed à peccato 57 & 58
chriſtus cur mortuus vt nos à Morte liberaret 13
Mortuos quomodo dicatur iudicaturus Chriſtus 38
deus ſic eſt primus Motor vt ſit extra cauſas quas

mouet & non moueatur 108
mali etiam à Deo efficaciter Mouentur, nec propterea Deus peccati auctor 113
inſtrumenta animata & intelligentia ſic Mouentur vt ſeſe moueant 108

N

NAtura humana in Chriſto perfectiſsimè pro nobis ſanctificata 78 & 79
Naturalis notitia Dei qualis 42
Neceſsitas cum liberrima voluntate coniuncta eſt, nedum vt libertatis voluntatem tollat 52
Neceſsitas peccandi non tollit conſultationem neque electionem 50
Neceſsitas quomodo nõ tollat cõtingentiam neque ante lapſum neque poſt lapſum 120.121 & 122
Neceſsitate peccandi poſita non tollitur peccatũ 50
Nouus homo & noua creatura quid 80 & 81

O

OBedientiæ Chriſti partes duæ præcipuæ 67
Odio deitimare & odiſſe, in Deo plurimum differunt 145 & 146
quod Operanti tribuitur non tribuitur tamen operibus 94
vnum & idem Opus ratione duplicis principij duplex eſt 109.110 & 111
Opera iuſtificatorum non ſunt pars iuſtitiæ coram Deoquanuis Deo ex gratia placeant 92
Opera omnia ſemel à Paulo excludi in iuſtificationis diſputatione 99 & 100
Oſiandri delirium 74

P

PArcè qui ſerunt parcè metent 98
christus præcipuè in anima Paſſus 12 & 13
christus niſi Paſſus eſſet non impleuiſſet Legem 74 & 75
deus bene ſemper agit, etiam quum Peccantibus inſtrumentis vtitur 109
Peccatum ex naturæ corruptione non ex imitatione propagatur 57
Permiſsio vtà nonnullis explicatur, Deum non excuſaret 115 & 116
Permiſsionis vocabulum in tractatu de Prouidentia quatenus tolerabile 114 & 129
Perſonæ in Deo quid 3
Perſonæ tres vnus Deus 4
Philoſophicæ virtutes in nullo vnquã extiterunt 49
Philoſophicæ virtutes ſunt peccata 50
inter homines Ἀνθρωπαρκείας cur non ſit in omnibus conſenſio 89
Pœnæ damnatorum impares 97
Prædeſtinatio quid 133
Prædeſtinatio ad ſalutem non eſt ſimpliciter vniuerſalis ſed indefinita: idque certarum duntaxat circunſtantiarum reſpectu 138 & 139
Prædeſtinatio an reprobos quoque comprehendat 134, 135 & 136
Prædeſtinatio electorum & reproborum concurrunt in principio & in fine, in medio verò diſsident vna ab altera 135
christus etiam homo nobis Præſens 24
christi omnipotentia non ſtatuit carnis Præſentiam 17 & 18
paria paribus non tribuere non eſt ſemper προσωποληψία 147 & 148
Prouidentia Dei quid 105 & 106

Chriſtus

christus insons cur punitus 11

Q

QValitates animi quid & quomodo intelligendæ 44 & 45

R

RAtio non regenerata pars est hominis ψυχικὸς 85.86.87 & 88
Rationis & appetitionis repugnantia apud Philosophos longè aliud est quàm carnis & Spiritus certamen Paulo 84 & 85
non Regenerati luctantis & regenerati plenè victoris discrimen 156 & 157
Regeneratio posterior ad sanctificationem necessaria 79 & 80
damnandi an Christi etiam virtute Resurgẽt 38 & 39
christus cur non statim Resurrexerit 14
christi Resurrectionis fructus 15

S

SAnctificatio & iustificatio necessariò cohærent 94 & 95
Sanctificatio inhærens distinguenda ab ea quæ imputatur 80 & 81
Sanctificatum quid 80
aliquis Sanctus est qui nondum est iustus 78
quomodo Christus factus sit nobis Sapiẽtia 71 & 72
homo an alia ratione quàm per Christum Seruari potuerit 9 & 10
Simile & idem differunt 130
deus quo iure flagitet à nobis quod Soluere nõ possumus 90 & 91
Spiritus in homine regenerato quid 83 & 84
Spiritus sanctus quomodo excuti dicatur 156 & 157

christus quomodo patri Subiiciendus 36 & 37
homines quomodo in subsequentibus gratiis συνεργοῦσι 56
& primæ gratiæ 53 & 54

V

VErbum Dei quodnam 2
Verbi Dei quæ auctoritas 2
Vita æterna & mors æterna quid 40
Vita æterna nobis non debetur ex pacto Legis 100 & 101
Vnio Christi nobiscum quomodo imputationis fundamentum 67 & 68
christus quomodo cum ecclesia Vnitus 64
Vocatio & promissio an dici possit vniuersalis 140
Vocatio latius patet quàm electio 141
Voluntatis Dei nomine non semper idem declaratur 116 & 125
an dici possunt mali facere Dei Voluntatē 101 & 125

INTRATE PER
ARCTAM VIAM

QVÆSTIONVM ET RESPONSIONVM CHRIstianarum libellus.

QV. ÆSTIO.

QVÍSNAM in hoc mundo nos collocauit? Pro.16.24

RESPONSIO.

Deus, pro ſua ſingulari bonitate.

QV. Quorſum?

R. *Vt nos quidem ipſum colamus, ipſe verò vitam æternam nobis tribuẽdo, glorificetur.*

QV. Quænam eſt verò ipſius legitimè colẽdi, ac proinde æternæ vitæ conſequendæ, & Dei propriè glorificandi ratio?

R. *Si talis cognoſcatur & agnoſcatur, qualem ſeſe nobis Verbo ſuo patefecit.* Rom.1.21 Ioh.17.3

QV. Quid vocas Verbum Dei?

Ephes. 2. 20 Rſ. *Id quod Prophetæ & Apoſtoli à Dei Spiritu acceptum in tabulas retulerũt, quem librum ſignificamus Veteris & Noui Teſtamenti nomine.*

QV. Quis eſt igitur illorum librorum auctor?

Rom. 16. 2 2. Tim. 3. 16 2. pet. 1. 20 Rſ. *Deus ipſe. Deſcriptores autem, ſiue exceptores eius fuerunt Prophetæ & Apoſtoli.*

QV. Vnde hoc noſti?

Act. 2. 17 3. Cor. 1. 17. 18. &c. Mat. 12. 33 Luc. 21. 15 act. 6. 10 Ioh. 5. 39 act. 17. 11 2. cor. 4. 3. & 4 Rſ. *Res ipſæ quæ in iis Scriptis tractãtur: maieſtas Dei in illa ſermonis ſimplicitate reſplendens: cæleſtis puritas & ſumma ſanctimonia vbique emicãs: principiorum quibus ea doctrina nititur, certiſſima firmitas: prædictionum cum euentu comparatio, quibuſvis vel maximè repugnantibus hæc ſcripta prorſus eſſe diuina ac cæleſtia, atque adeò perfectiſſimam hanc eſſe Veritatis doctrinã, ſatis ſupérque demonſtrant. Accedit ipſa hiſtoriarum*

Ioh. 6. 44 act. 13. 48 philip. 1. 29 act. 16. 14 *ſeries, & per manus piorum traditũ teſtimonium. Cur autem hæc ita nouerim, vt iis prorſus aſſentiar quæ partim aſpernari*

& ridere, partim ſic amplecti homines conſueuerunt, vt tamen quid credere ſe profiteantur, minimè norint, id totum debeo Spiritui ſancto, qui cor meũ aperuit vt hæc arcana auribus & animo perciperem.

Q V. Eſt'ne verò in illis Scriptis comprehenſum quicquid nobis ad ſalutem credendum eſt?

R. *Omnino.* 2.Tim.3.17

Q V. Quid ergo nos imprimis docẽt ſcripta Prophetica & Apoſtolica credendum eſſe de ipſo Deo?

R. *Vnam eſſe Dei eſſentiam, tres autem perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.* Deu.6.4 mat.28.19

Q V. Quid vocas Eſſentiam? *Eſſentia Deiquid.*

R. *Naturam tribus illis perſonis communem.*

Q V. Quid Perſonas?

R. *Eos qui in hac ipſa natura ſubſtant.* *Perſona quid.*

Q V. Iſtæ igitur tres perſonæ, ſúntne tres Dij, ſicut tot ſunt homines, quot ſunt perſonę natura humana præditæ?

Rꝛ. *Nequaquam. Sunt enim hæ tres ſingulæ perſonæ, vnus & idem Deus.*

QV. Quînam?

Rꝛ. *Quoniam eſſentia Dei eſt ſimpliciſſima, infinita & impartibilis, ideo tres iſtæ perſonæ nõ ſunt ſeparatæ vna ab alia, ſed duntaxat diſtinctæ: ita vt Pater non ſit Filius aut Spiritus ſanctus, ſed Pater duntaxat: nec Filius ſit Pater aut Spiritus ſanctus, ſed Filius duntaxat: nec Spiritus ſanctus ſit Pater aut Filius, ſed Spiritus ſanctus duntaxat: & ſingulæ illæ perſonæ ſint vnus idémque perfectus Deus, coæternæ, coëſſentiales & coæquales, quanuis ordine (non gradu) primus ſit Pater, qui à nullo eſt: ſecundus, Filius, qui à Patre eſt: tertius, Spiritus ſanctus, qui à Patre & Filio eſt, inenarrabiliter vterque æterna totius eſſentiæ Dei communicatione: ille quidem genitus, hic verò emanans.*

QV. Eſt ſanè, vt video, inexplicabilis abyſſus iſtius arcani.

Rꝛ. *Eſt omnino, ſi rationẽ qua id fiat ſcrutari velis. Sed ita eſſe conſtat Verbo*

Dei

Dei expreſſo. Itaque credendum & adorandum eſt arcanum quod Deus patefecit, non autem ſcrutãdum quod nobis abſcondit, & cuius capaces non ſumus.

Q.V. An ad ſalutem ſufficit iſta de Eſſentia Dei cognitio?

R. *Minimé: Nam præter alia multa quibus quodãmodo nobis Dei natura depingitur, ne ſimilem ipſum rebus creatis faciamus, requiritur in primis vt nouerimus quomodo erga nos ſit affectus.* Rom. 8. 16. 37 1. Cor. 2. 12, & 16

Q.V. Vt hoc noris, quid in primis conſideras in Deo? 1. Ioh. 4. 13 gal. 4. 6

R. *Perfectam iuſtitiã & perfectam miſericordiam.* Exo. 20. 5 6 & 33. 6. 7

Q.V. Quid vocas Iuſtitiam, quid Miſericordiam?

R. *Non ſunt iſta in Deo veluti qualitates: ſed per Dei Iuſtitiam, intelligimus vſque adeò integram eſſe Dei naturam, vt ſummè oderit, ac ſeueriſſimè vlciſcatur omnem iniuſtitiam: Perfectæ verò Miſericordiæ nomine ſignificamus, ex mera in ſolidum gratia ipſius prouenire quicquid nobis largitur, ac præſertim æternæ*

vitæ beneficium.

QV. Atqui iſta inter ſe non conſentiunt. Quomodo enim ſeueriſsimus vltor eſt eorũ quæ ex mera gratia condonat?

RE. *Optimè hæc conſentire patefecit nobis Pater in Filio ſuo, qui pro noſtris peccatis plenè ſatisfecit, & gratis eſt datus nobis à Patre.*

QV. Non luit igitur pro nobis mortem Pater aut Spiritus ſanctus?

Ioh.1.14. & 17.3. & 16.13 1.Ioh.4.13 rom.8.14

RE. *Neuter ſanè luit, ſed vnicus Filius quem miſit Pater: docet autem & obſignat in nobis Spiritus ſanctus.*

QV. Nónne Filius eſt verus Deus natura, vt & Pater & Spiritus ſanctus, ac proinde ipſa immortalitas?

Mat.1.21 mar.2.7

RE. *Eſt. neque noſter eſſet Seruator, niſi Deus eſſet.*

QV. Quomodo igitur mori potuit?

Heb.2.9, 14.15 gal.4.4.5

RE. *Homo factus, vt in carne moreretur, qui ſecundum diuinitatem eſt ipſamet æterna vita.*

QV. At-

Q. Atqui Filius eſt Deus immutabilis, quomodo ergo factus eſt homo?

R. *Non permixtione naturarum vel proprietatum, aut tranſmutatione vlla Dei in hominẽ, vel hominis in Deum, quorum neutrum fieri poteſt: ſed tam arcta & domeſtica Deitatis Filij cum aſſumpta hominis natura connexione, vt Filius Dei iam ſit vnica perſona, verus Deus & verus homo, Ieſus Chriſtus.* Ioh. 1. 14. 1. Ioh. 1. 1. Heb. 2. 16.

Q. Hæc autem vnio qualis eſt?

R. *Hypoſtatica Græcè, Latinè Perſonalis eſt ac dicitur.*

Q. Deſcribe illam quæſo, vt intelligi ſaltem vtcunque poſsit.

R. *Vniri in natura dicuntur, quæ in vnam conueniunt naturam, ſiue id fiat abſque vlla concretione, miſtione, vel conuerſione, vt tres perſonæ diuinæ ſunt vnica ſimpliciſsima οὐσία: ſiue ſola compoſitione, vt anima & corpus, tanquam partes eſſentiales coëunt ad id conſtituendum quod eſt homo: ſiue interueniente aliqua permixtione aut conuerſione, vt in ele-*

mentorum tranſmutatione & mixtis rebus euenit. Vniri autem ὑποστατικῶς, ſiue perſonaliter dicuntur, quæ ſic iunguntur vt indeexurgat vna & eadem hypoſtaſis ſeu perſona: ſicut anima & corpus ſic vniuntur ad conſtituendam vnã naturam humanam, vt in vnam perſonam, ſiue in vnum indiuiduum coeant. Huius generis quoque eſt vnio duarum naturarum in Chriſto, non ad vnum quiddam tertium, ſicut perperam cenſuit Eutyches, ſed ad vnam hypoſtaſin ſiue perſonam conſtituendam coëuntium, abſque vlla vel ipſarum naturarum, vel eſſentialium proprietatum confuſione. Vnionem autem dixi naturarum, non hypoſtaſeων, ne ex duabus hypoſtaſibus vna coaluiſſe exiſtimetur, quum vna ſit in Chriſto ſubſiſtentia, ipſius videlicet Verbi propria, in qua etiam ſubſiſtit altera aſſumpta natura, videlicet humana. Nec enim perſona perſonam, ſed natura diuina, eaque in vnius Filij hypoſtaſi (id eſt quatenus Filius, non autem quatenus Pater aut Spiritus ſanctus in ea ſubſiſtit) naturam humanam propria (vt

ita

ita loquar) perſonalitate deſtitutam aſſum pſit. In ſumma igitur, ſicut in Deo tres ſunt perſonæ in vna eadémque natura conueniẽtes, ita in Chriſto ſunt duæ naturæ in vnam Filij hypoſtaſin coniunctæ: vt tres perſonæ non ſint tres dij, ſed vnus Deus, propter ſimpliciſsimam trium perſonarum in vnam eandémque naturam vnionem: neque ſint duo Chriſti, ſed vnus Chriſtus, propter duas perfectas non hypoſtaſes, ſed naturas: non ad vnam tertiam naturam conſtituendam coniunctas, ſed in vnam Filij hypoſtaſin, in qua vtraque natura ſuſtentatur, vnitas.

QV. Ne hoc quidem arcanum capio.

R. *Adora igitur rurſum quod non capis. Nam id veriſsimum eſſe tota Scriptura clamat: & niſi ita eſſet, non eſſet nobis Ieſus, id eſt ſeruator, neque Chriſtus, id eſt vnctus, vt ſummus & æternus Rex Propheta & Sacerdos noſter.*

QV. An verò Deus alia ratione, minus à ſenſibus noſtris remota, hominem ſeruare non potuit?

R. *Potuit sané. Sed maximè fuit opportuna hæc ratio declarandæ summæ illius tum iustitiæ tum misericordiæ.*

Q. Quomodo?

R. *Quia si vel absque plena satisfactione nos seruasset, vel ab alia quàm à debitrice natura hāc satisfactionem exegisset, iustitiæ illius suæ immemor fuisse videretur: ideóque seruatorem nostrum decuit hominem fieri. Quòd si duntaxat homo fuisset, nunquam iram Dei exhausisset: ac proinde neque seipsum quidem inde extricare, nedum nos liberare potuisset. Ideóque à natura diuina, & quidem vnitissima, sustentari assumptam carnem oportuit. Iā verò quod ad misericordiam attinet, an potuit vllum certius, illustrius, diuinius denique testimonium edi perfectissimæ clementiæ, quàm quòd suum ipsius vnicum Filium pro inimicis suis tradidit Pater, & Filius vicissim pro nobis indignissimis vltrò animam suam posuit?*

Hebr. 2 14 rom. 8

2 Cor. 5. 19.

Rom. 5. 8

Q. Ita est omnino. Sed an non fuit insons ipse Christus?

R. *Ma-*

Bz. *Maximé. ideóque conceptus est ex Spiritu ſancto in virgine Maria, non modo nulla prorſus macula fœdatus, ſed etiam ſumma integritate & puritate donatus in carne. Nam ipſemet alioqui ſeruatore alio indiguiſſet, nec placere potuiſſet ipſius oblatio, imò ne vnire quidem ſeſe Deus huic naturæ impuræ ſuſtinuiſſet.* 1. Pet. 3. rom. 8. 3 matt. 1. 20

Q V. An verò ſummæ illi iuſtitiæ cõueniebat, pœnas alieni peccati ab homine innocentiſsimo, imõ verò etiam ſanctiſsimo, exigere?

Bz. *Iniuſtus ſanè Pater videri poſſet, ſi Filium vt ſontem percuſsiſſet. Percuſsit igitur non vt ſontẽ, ſed vt eum qui ſeſe vltrò vadem pro iniuſtis ſiſtere voluit: ideóque Pater nihil à ſua iuſtitia alienum fecit.* 2. Cor. 5. 21

Q V. Sed cur apud iudicis tribunal damnatus, & quidẽ ſupplicio crucis affectus fuit, quũ aliter etiam pro nobis mori potuerit?

Bz. *Vt eò melius appareret ipſum factũ eſſe pro nobis maledictionẽ, & omnem*

iram Patris aduerſus noſtra peccata in ſe recepiſſe, vt nos plenè liberaret.

QV. Sed mors corpori tantùm conuenit: ideóq; corpora noſtra duntaxat videtur hac ſua morte liberaſſe. Morimur tamen omnes: ex quo effici videtur nec animarũ nec corporum eſſe ſeruatorem.

RE. *Animam quoque vnà cum corpore aſſumi à Chriſto decuit, tum vt mori poſſet (prior enim mors eſt animæ à corpore ſeparatio) tum vt integer homo factus, totos & integros homines liberaret.*

QV. Vis igitur illum etiam pœnas quibus obnoxiæ ſunt animæ noſtræ, pertuliſſe?

RE. *Omnino. Eſt enim hæc vel præcipua perpeſſionum Chriſti pars, quòd præter illos ſummos ſæuiſſimæ mortis cruciatus, horribiliſſimũ illud iræ Paternæ pondus noſtra vice ſuſtinuit, quo nihil terribilius eſſe poteſt: Deitate videlicet hactenus per id tempus in ipſo veluti quieſcente, vt humana aſſumpta natura, quanuis ſub* Gal. 3. 13

hoc

hoc pondere ipſis alioquin Angelis intolerabili non deficeret, tamen totam iram Dei aduerſus omnia omnium electorũ peccata inenarrabiliter inflammatam acerrimo ſenſu perciperet, ſentiret, ac denique perferret, quouſque plenè eſſet ſatisfactum. Itaq; quo tempore in cruce pepẽdit, in mediis etiam inferorum cruciatibus verſatus eſt, vt nos plenè ab vtraque morte liberaret.

QV. Atenim ſi venit vt nos à morte liberaret, cur ipſemet mortuus eſt?

RE. *Quoniam alioqui illa ſumma Dei iuſtitia, cui ſatisfieri oportuit, in noſtra redẽptione non appareret. & glorioſior eſt etiam idcirco Chriſti victoria, quòd moriendo mortem vicit.* Heb. 2. 14 ofe. 3. 14 eſa. 53. 8. &c.

QV. Cur ergo moriuntur etiam electi, ſi mors eſt pro illis à Chriſto ſuperata?

RE. *Quoniam Chriſtus non venit vt nos in eum huius mundi ſtatum reſtituat quem in Adamo amiſimus, ſed vt nos in longè meliorem immortalitatem tranſ-* Rom. 5. 15

1. Cor. 15 *ferat: quod fieri non potest quin ex hoc mundo demigremus. Itaque etsi ista corporis & animæ separatio, quæ prima mors dicitur, à peccato orta est, cuius reliquiæ sunt in sanctissimis etiam hominibus: tamen si Dei consilium & scopum respicias, electis proprie non infligitur à Deo vt iudice, sed vt à clementissimo patre mittitur, suos propius ad se cuocãte: ideóque credentes non modò nõ perterrefacit, verùm etiam reficit ac recreat.*

QV. Cur ergo vis illa ipsius aduersus mortem protinus sese non exeruit?

Act. 2. 24 mat. 27. 66 Rom. 6. 4 R. *Imò statim sese exeruit, quũ nullam corruptionem sit expertum ipsius corpus. Voluit tamen sepulturæ spatium aliquod dari, tum vt vera ipsius mors, ipsorum quoque hostium suorum sigillis confirmata, mox sequuturam ipsius resurrectionem probaret: tum vt Mortem velut in intimum vsque suum antrum refugientem victor persequeretur, adeóque sepulchra nostra viuifico suæ mortis odore perfunderet.*

QV. Re-

Q.V. Reſurrectio igitur teſtis eſt quòd volens mortem ſubierit, vt immortalitatem nobis pararet?

R. *Ita eſt: quoniam ſua ipſius virtute reſurrexit nunquam moriturus, vt & nos in eo viuificemur in æternum.* 1 Cor. 15 rom. 6. 10

Q.V. Cur autem aſcendit in cælos, ac non potius manſit nobiſcum?

R. *Corpore verè & reipſa migrauit à nobis apud quos erat, ſupra omnes cælos vbi antea corpore non erat: tum vt hoſtibus debellatis triumphãs, cæleſtis regni poſſeſſionem primus à mortuis reſurgens iniret: tum vt eò contendere nos doceret vbi nobis locum parauit: ipſe interea ſuo Spiritu præſentiſſimus, Eccleſiam, vt caput coniuncta ſibi membra, gubernans.* Eph. 4. 8 & deinceps Ioh. 14. 2 col. 3. 1

Q.V. Mutauit ergo locum, vt eò abiret vbi non eſt locus.

R. *Mutauit ſanè locum, vt hiſtoria teſtatur, & corporis quantunuis glorificati veritas flagitat: ſed ſecundũ eam naturam demum mutauit quæ circunſcri-*

Mat. 28 20 pta est: idque non vt nos deserat (adest enim suis nihilominus integra virtute præsentissimus, quum sit verè Deus, & vna persona sit Christus, Deus & homo simul) sed vt à terris abductos cælestia quærere doceat. Quod autem locum ibi nõ esse dicis quò ascendit, inanis est commentatio. Illud sufficiat, vnicam Deitatem esse infinitam: cætera omnia, siue in cælis, siue supra cælos, siue in terris & abyssis (nedum quanuis glorificatum, verè tamen humanum corpus) esse natura sui finita & circunscripta. Quomodo verò in illa æterna gloria contineantur, tum nobis liquebit quum & ipsi eò peruenerimus.

QV. Vidêris ergo Christum diuidere, siue duos Christos facere, quorum vnus adsit, alter absit.

R. Christum non diuido: sed naturarum confusionem tollo, quum illum secundum carnem abesse dico: quem tamen & secundum Deitatem, & si, vt totum quiddam, id est vt vna persona Deus & homo consideretur, verè adesse dico.

QV. Quid

Q V. Quid declarat illius ad Patris dexteram conſeſſus?

R. *Ipſum depoſita, non carnis veritate, ſed omni infirmitate, in eum gloriæ gradum euectum qui ſupra omne nomen emineat: carne videlicet iam plenè à Deitate, σωματικῶς in ea inhabitante, glorificata, neque tamen in ſui eſſentia, neque in proprietatibus eſſentialibus abſorpta: & omnia in cælo & in terra (excepto eo qui omnia ipſi ſubiecit) pleno iure adminiſtrante & gubernante.* Phil. 2. 9 col. 2. 9 Mat. 28. 18 phil. 2. 10 Hebr. 2. 8, & 9 1. cor. 15. 27

Q V. Quid'nam per Eſſentiales proprietates intelligis?

R. *Id quo reipſa ſublato quippiam neceſſe ſit non eſſe amplius quod erat. Sic, exempli gratia, corpus, quantitate adempta, corpus eſſe deſinat neceſſe eſt.* Luc. 24. 39

Q V. Atqui Deus eſt omnipotēs.

R. *Quis hoc inficietur?*

Q V. Ergo efficere poteſt vt vnū idémque corpus vel ſit ſimul multis locis, vel alicubi ſit vt in loco, & alicubi nō vt in loco, ſed incomprehenſibili quadam ratione.

Rꝛ. *Quin poſsit Deus efficere vt quod eſt non ſit amplius, ſicut effecit vt eſſet quod non erat: nemo niſi prorſus inſanus dubitarit, tantum abeſt vt formas ipſas & qualitates rerum mutare pro arbitrio non poſsit. Efficere verò vt quicquam ſimul ſit & non ſit, aut ſimul tale ſit & tale non ſit, ideo non poteſt Deus, quia mentiri non poteſt. Mentiri verò non poſſe, non eſt infirmitatis, ſed inuariabilis potentiæ ſignum.*

QV. Cõcludis igitur Chriſtum ſecundum humanitatẽ à nobis nunc abeſſe.

Coloſ. 3. a Rꝛ. *Omnino, & quidem quanto ſpatio abeſt à terris, vbi ſumus, id quod eſt ſupra omnes cælos, quò eſt illa caro euecta.*

Ioh. 3. 13 QV. Dixit tamen ſeſe tũc fuiſſe in cælis, quum in terris Nicodemum alloqueretur.

Rꝛ. *Hoc intelligitur, cæteráque eiuſmodi, per κοινωνίαν ἰδιωμάτων.*

Ἰδίωμα QV. Quid vocas ἰδίωμα;

Rꝛ. *Id quod dialectici Proprium quarto modo vocant: cuiuſmodi eſt (exempli*

pli gratia) infinitum eſſe in diuina natura, in rebus autem conditis omnibus, ac præſertim corporeis, τὸ πόσον.

Q V. Falſa eſt igitur iſta κοινωνία, quũ eiuſmodi proprium deſinat eſſe propriũ, ſimulatque cõmune euadit.

R. *Hoc poſterius ſimpliciter concedo, illud non item.*

Q V. Atqui iſta duo vidẽtur prorſus cohærere.

R. *Sic igitur rem accipe. Manent cuique in Chriſto naturæ, Deitati videlicet & humanitati, ſuæ eſſentiales proprietatẽs, ita vti diximus, incommunicabiles: quod niſi dicamus, infinita abſurdiſſima ac planè impia conſequentur. Deitas enim receptis in ſeſe illis humanæ naturæ proprietatibus in humanitatem tranſformabitur: & contrà, humanitas proprietatum Deitatis communicatione fiet factitia quædam Deitas, vt neque verus Deus neque verus homo Chriſtus dici poſſit, ac proinde nobis non ſit ſeruator. Itaque neque naturarum neque proprietatum eſſentialiũ vlla eſt cõmunicatio, &*

quàm falsæ & impiæ sunt istæ enuntiationes, Caro est Deitas, Deitas est caro: tã & istæ impiæ sunt & falsæ, Caro Christi est vbiq; siue, Christus est vbiq; secundũ carnẽ: &, Deitas Christi nõ est vbiq; siue, Christus non est vbique secundũ Deitatem. Et istæ igitur falsissimæ sunt, Deitas est crucifixa, vel mortua: Caro Christi est infinita. Quanuis autem istæ naturæ vnà cum suis essentialibus proprietatibus sint, vt dixi, incommunicabiles, tamen vnitæ sunt vsque adeò vt vnum idemq; ὑφιστάμενον, siue vnicam personam constituant. Itaque quàm sunt falsæ illæ enuntiationes, Deitas est caro, &, Caro est Deitas, tam veræ & orthodoxæ sunt istæ, Deus (ὁ λόγος *videlicet*) *est hic homo, &, Hic homo est Deus, idq; propter vnitatem personæ, non ex naturarum communione quam nullam esse diximus,* (*nisi communicationem pro vnione accipias, quod est prorsus ἄκυρον*) *sed ex naturarum vnione exorientem. Nec enim Deus est hic homo quatenus est Deus,* (*quod tamen consequeretur si naturæ ipsarum essentiarum*

essent

essent communicabiles) *sed* κατ' ἄλλο, *quatenus videlicet hominem illum sibi vniuit: neque hic homo est Deus quatenus est homo, sed* κατ' ἄλλο, *id est quatenus est Deo vnitus. Quod verò de naturis ipsis diximus, intelligatur quoq; de essentialibus & pariter incõmunicabilibus proprietatibus. Verissimæ sunt igitur istæ enuntiationes, & simili ratione explicandæ, Deus* (ὁ λόγος *videlicet*) *conceptus, natus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus est & resurrexit, quatenus videlicet hominẽ sibi vniuit, nõ quatenus Deus est: & hæ quoq;, Homo iste est Filius Dei æternus, infinitus, inuisibilis, omnia replens, cæteraq; eiusmodi: nõ in seipso, id est, quatenus homo est, nec vlla proprietatũ cõmunicatione, sed quatenus est à Filio Dei in vnam personam assumptus.*

Q V. Sed duræ & valde insolentes videntur istæ loquendi formulæ.

R. *Imò si præiudicatam opinionem abiicias, valde propriæ ad significandam naturarum vnionẽ: quæ tãta est, vt quod de abstracto dici non potest, putà Deita-*

te vel humanitate, concreto tamen alterutri, putà Deo vel homini, attribuatur: quoniam videlicet ex duabus naturis nõ eſt facta vna natura, ſed vna perſona. ideóque vnionem quidem in naturis, at non vnitatem, perſonæ verò vnitatem duntaxat ponimus. Inde fit vt tota hæc perſona, non modò ipſo totius perſonæ, putà Ieſu nomine, vtramque vnitam naturam comprehendente ſigniſicetur, verùm etiam alterius naturæ (concretè tamen, non abſtractè conſideratæ) putà Filij Dei & Hominis vocabulo intelligatur. Sic quoque Chriſtus, id eſt vnctus, quum ſoli humanæ naturæ propriè cõueniat (nec enim Deitas vncta eſt, ſed vnxit) tamen totam perſonam declarat. Vſitatiſsimum eſt autem in omnibus linguis de perſonis ſimili modo loqui, ad declarandam partiũ vnitionem, ex quibus vnitas perſonæ cõſtituitur. Sic iſta locutio maximè propria eſt, Petrus eſt Apoſtolus, toti nimirum perſonæ & ſingulis eius partibus, animæ videlicet & corpori Petri, conueniens. Iſta verò, Petrus eſt filius Ionæ, toti quidem ſimul

mul,& vt totum quiddam,id eſt ſecundũ vnitatem perſonæ conſiderato conuenit, at non ſingulis eius partibus, ſed alterius duntaxat, nempe corporis reſpectu: niſi fortè animam quoque vis eſſe à traduce. Similis eſt loquendi formula quum mortalem quempiam aut intelligentem vocamus: quæ toti quidem vt toti propter perſonæ vnitatem, alterius tamen partis duntaxat reſpectu competunt. Imò iſtius perſonalis vnionis tãta vis eſt, vt poſt diſſolutionem quoque illius, ſimilibus formulis adhuc ſit locus, vt ſi dicas: Petrus ſitus eſt Romæ (ponamus enim ita eſſe) vera fuerit enuntiatio, corporis tamen vnius reſpectu, quãuis Petrum, id eſt totam perſonam nomines.

QV. Cur igitur κοινωνίαν ἰδιωμάτων vocas, ſi communicatio realis naturarum & eſſentialium proprietatũ nulla eſt?

RE. *Communicationem proprietatũ non vocamus ipſam vnionem perſonalem, aut huius vnionis formam, ſed prædicationem, vt loquuntur Dialectici, quæ*

ſit propter vnionem perſonalem duarum naturarum: in qua proprietas eſſentialis, vel operatio vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto & nõ in abſtracto. Hæc autẽ prædicatio quũ vera ſit, veritas etiam illi ſubſit oportet: eodem tamẽ, nempe totius perſonæ in concreto conſideratæ, reſpectu.

QV. Rurſum ergo cõcludis Chriſtum ſecundum carnem verè & reipſa è terra demigraſſe ſupra omnes cælos, ac proinde nunc ànobis qui in terris ſumus, abeſſe.

R. *Ita eſt, quanuis Chriſtum hominem nobis præſentiſſimum eſſe fatear: ſed κατ' ἄλλο, id eſt quatenus hic idem homo, Deus etiam eſt. Imò, ſi vis, illud etiam cõcedam, Chriſti quoque humanitatem adeſſe præſentem: ſed κατ' ἄλλο, id eſt non in ſeſe ſiue ſui eſſentia, ſed quatenus cohæret hypoſtatica vnione cũ τῷ λόγῳ qui eſt vbique, nedum in Cœna reipſa præſens.*

QV. Quid nobis ergo nunc prodeſt Chriſtus ſecundum carnem, ſi ab eo deſerti ſumus?

R. *Nos*

Rſ. *Nos verò nequaquam deſeruit, quum etiam ſecundum ſuam carnem glorificatam nũc omnia in cælis & terris adminiſtret, accepto à Patre nomine quod eſt ſupra omne nomen. Hac autem ſua poteſtate fretus, Eccleſiam ſuam in hoc mundo arcana & inenarrabili vi ſua vegetat, fouet, & gubernat, ſimúlque in medio inimicorum omnium dominatur: in cælis autem apud Patrem intercedit tãtiſper dum vltimus hoſtis, Mors videlicet, penitus profligetur.*

Ioh. 13. 3. 9

Mat. 28. 20. Ioh. 15. 4. Gal. 2. 20. Eph. 1. 22

QV. Quænam eſt, obſecro, iſta interceſſio?

Rſ. *Intercedit primùm, integritatis & obedientiæ ſuæ perpetuo vigore Patrem nobis placante: deinde, quoniam non niſi in ipſius nomine Patrem vitè poſſumus interpellare, adeò vt ſemper medius conciliator inter nos & Patrem interueniat, quò gratum ſit Patri quicquid offerimus. Quod autem nonnulli de Chriſti ſupplicatione & ad genua Patris abiectione ſomniant, inane eſt cõmentum eorũ hominũ qui Chriſtum infirmũ à glorioſo,*

cæleſtia denique à terrenis diſtinguere neſciunt.

QV. Quid ergo de iis arbitraris qui tam pertinaciter tuentur Chriſtum ſecundum vtramque naturam mediatorem non eſſe?

R. *Organa eſſe Diaboli cenſeo, ad opus Domini impediendũ comparata quod & ipſa experientia comprobauit.*

QV. Atqui medium eſſe, declarat locum ſummo inferiorem, & minoris eſt apud maiorem eſſe mediatorem. Hinc colligo Arianos videri qui Chriſtum cenſent ſecundũ Deitatem quoque eſſe medium & mediatorem.

R. *Homines vllos inueniri potuiſſe mirarer in tanta Euangelij luce, qui tam leuibus præſtigiis ſe decipi paterentur, niſi res ipſa declaraſſet nunquam fuiſſe Euangelium Dei recto zelo ſectatos. De præfractis & αὐτοκατακρίτοις loquor.*

QV. Atqui hoc non eſt reſpondere.

R. *Cogit me rei indignitas in hanc vocem*

vocem erumpere, quum tam leui atque adeò tam nulla occasione videā tam multos initiò quidem ad Arianismum, postea ad Tritheismum, denique ad Samosateni impia deliria defecisse. Age igitur, ordine de singulis quæramus.

Q V. Ergo tibi aliud est Medius quàm Mediator? Medius aliud à Mediatore.

R. *Omnino. Medius enim ipsam personæ qualitatem declarat, qua fit vt inter duo extrema medium quippiā censeatur: Mediator verò sequestrem & conciliatorem declarat. quæ vsque adeò diuersa sunt, vt mediator aliquis esse possit, qui tamen media conditione non est, vt quum alios aliis reconciliamus: & contrà, non quisquis medius est, sit necessariò mediator.*

Q V. Christus tamē est tum medius, tum mediator.

R. *Concedo.*

Q V. Si medius est, quatenus est Deus Verbum, siue Filius, ergo Filius inferior est Patre: quadam videlicet Deitate inter summā Patris Deitatē,

& hominum naturã media, prędituſ.

R. *Vis ergo Chriſtum ſecundum alteram duntaxat, nempe humanam naturam eſſe medium, aut nullo modo medium eſſe.*

Q. V. Imò ad illud prius reſpõde.

R. *Reſpondeo igitur, vtranuis naturam per ſe ſpectes, Chriſtum dici mediũ non poſſe, quoniam quatenus Deus eſt, æqualis eſt Filius Patri: quatenus autem homo eſt, æqualis eſt reliquis hominibus. Itaque vt quiſpiam eſſet hac ratione medius, natura quadam media conſtare ipſum oporteret, qua nec ſummè Deus, nec infimè homo eſſet: quod dari nullo modo poteſt.*

Q. V. Sequetur ergo Chriſtum, ſi neutrius naturæ reſpectu medius eſt, nullo modo medium eſſe.

R. *Non ſequetur ſi naturas, ita vt faciendum eſt, nõ per ſe, vt iſti turbatores Eccleſiarum ſolent, ſed coniunctim in vnã eandémque perſonam vnitas conſideres. Eſt ergo medius Chriſtus vnus, quia ſic Deus eſt vt ſit homo, ac proinde Deus patre*

tre inferior κατ' ἄλλο, nempe propter assumptam serui formam: & sic homo vt sit Deus, ac proinde supra ipsos Angelos, nedum supra homines eminens, sed κατ' ἄλλο, nempe propter formam Dei assumentem. Medius est ergo secundum vtramque naturam personali vnione coniunctam: secundum neutram verò per se consideratam, medius. Nam in Christo est quidem Aliud & Aliud: Alius verò & Alius non item.

Q. V. De Mediatoris autem officio quid sentis?

R. *Idem prorsus atque de Medio. Ista enim in Christo penitus cohærent, quũ factus sit vnione naturarum medius, vt esset inter Patrem & homines mediator.*

Q. V. Ergo secundum neutram naturam per se consideratam Mediator fuit Christus?

R. *Omnino. quia neque λόγ& absq; iis quæ in carne peracta sunt, homines Patri reconciliauit: neque rursus hic homo victor ipse euasisset, nedum vt noster*

esset liberator, nisi vnus & idem, homo simul & Deus fuisset. Hoc tamen interest, quòd ὁ λόγος vsus est hominis assumpti opera, non ex necessitate, sed ex mera voluntate: Hominem verò necessariò oportuit hãc efficacitatẽ ab assumente Dei natura mutuari. In hoc igitur mediationis, id est reconciliationis opere, quædã opera toti personæ, id est vtrique simul operãti naturæ, quædã distinctè Deitati, quædã distinctè humanitati tribuũtur: sed in summa, neutra per se natura fuit mediatrix.

QV. Sed quidnam credemus de intercessionis officio? Nam certè inferior est qui apud alium intercedit.

R. *Hoc verò falsum est. Quid enim obstat quominus æqualis æqualem, adeóque superior inferiorem pro alio interpellet? Nec sanè consequeretur Filium esse minorem Patre, etiam si has partes in se vltrò, etiam absque vlla assumpta carne, recepisset. Iam autem ostendimus quæ de intercessione Christi scribuntur, ad istã huius mundi imperiis & gradibus conuenientem rationem accommodari*

dari minimè oportere. Præterea quomodo vnionis naturarum respectu ὁ λόγος & inter Patrem & nos sit medius, & ratione officij habita sit inter Patrem & nos mediator, modo declarauimus.

QV. Aiunt etiam videri Deitatē apud semetipsam intercedere, si Christus quatenus etiam Deus est, interceſſor dicatur.

R. *Aiunt quidem, sed admodum imperité. Etsi enim in Filio, vt & in Patre & Spiritu sancto, tota perfectáque est Deitas, vtpote impartibilis: tamen hanc Deitatem in personis non nisi relatiuè consideramus. Itaque posito, quod verissimum est, Christum etiam secundum Deitatem humanæ naturæ assumptæ vnitam intercedere apud Patrem pro nobis, non efficietur eum apud seipsum intercedere, quū alius sit Pater, alius Filius, hypostasibus verè distinctus: quanuis, si essentia absolutè consideretur, Pater & Filius sint vnum, vnúsque Deus. Nam sicut in Christo incarnato est Aliud & Aliud, non autem Alius & Alius: sic in Deo est Alius & Alius, Aliud*

autem & Aliud non item.

Q V. Quid censes de Angelorum & mortuorum Sanctorum inuocatione?

Rz. *Impiam esse idololatriam.*

Q V. Possunt tamen Angeli & Sancti mortui ab iis inuocari qui nul la idola fabricari sustineant. Deinde distinguendi sunt qui veros & beatos Angelos, aut verè piorum & sanctorum hominum spiritus inuocant, ab iis qui colũt fictitia numina, id est dęmonia, & eos qui ipsorummet confessione, etiamsi Dii essent, tamẽ essent sceleratissimi.

Rz. *Fateor non modo imparia esse*
Ioh. 19. 11
Mat. 11. 12
peccata, sed etiam eiusdem peccati reos, nõ esse pariter reos. Sed qui grauius peccat, leuius peccantem non eximit peccatorũ numero. Itaque hoc totum sinamus, de quo nunc à nobis non quæritur. Idola parit manus, cõcipit inanis phantasia. Itaque sunt isti quoque idololatræ, quorũ idolum tanquam informis fœtus in phantasiæ vtero delitescit: nec vllũ est tetrius idoli genus,

vtpote

vtpote quod in ipsis animi penetralibus sit collocatum.

Q V. Sed cur Idololatriam vocas quod bona ratione nititur?

R. *Apage rationem quæ non modò Dei verbo non innititur, verùm etiam planè repugnat. Quanquam sanè quid bonæ rationis afferri possit ad tam crassã impietatem confirmãdam, non video.*

Q V. Quid hoc sit rei, quæso vt paucis demonstres.

R. *Absentem inuocare, cui significare animi tui sensum non possis, extremi stuporis est. Existimare verò mortuorum spiritus vel vbique præsentes esse, vel, vt absentes sint, neque verba exaudiant, tamẽ mentis cogitata perspicere: hoc, inquam, vtrumque manifestũ est idololatriæ scelus: si modò idololatria est, quod vni Deo proprium est, ad rem creatã transferre. Quod autem excipiunt, Spiritibus sanctorum petitiones nostras à Deo patefieri, aut eos in nescio quo mirifico Trinitatis speculo res singulas intueri, quàm facile est dicere, tam facile est vt stultum & crassum com-*

mentum repudiare. Iam verò quod ad Angelos attinet, audimus quidem eorum ministerio vti Dominum ad suos protegendos: nec dubium est quin prout illis mandatur suo munere fungantur, de piorum salute suo modo soliciti. Sed quid hoc ad inuocationem? Quomodo enim id fiat in fide, quum neque quando veniant aut discedãt, adsint aut absint, nouerimus: neque vllum hac de re verbum aut exemplum in sacris literis inueniatur, imò ne externam quidem adorationem religiosam Angeli admiserint? Denique quum nullus sit prorsus siue potẽtia siue charitate erga nos conferendus cum Christo Deo & homine ad Patris dextram sedente, vt pro nobis intercedat vnicus Dei & hominum mediator, vnde tandem nisi ex manifesta diffidentia orta est subordinatorum intercessorum turba? Quod verò de charitate non excidente à nonnullis inculcatur, etsi verum est, tamen vsque adeò absurdè applicatur probandæ mortuorum inuocationi, vt ne refutatione quidem indigeat.

QV. Precamur tamen alii pro aliis

liis, & alii aliorum preces flagitamus, ipſo Apoſtolo nobis exẽplo ſuo præeunte. Ergo poſtulare alterius quàm Chriſti interceſſionem, non detrahit vnius mediatoris officio, cui non dicitur Ora pro nobis: ſed, Miſerere nobis. 2. Theſſ. 3.

R2. *Primùm, conſtat iſtius Angelorũ & mortuorũ inuocationis defenſores, intra metas iſtas ſeſe minimè continere, ſed opem eorum in periculis & difficultatibus non aliter petere, quàm à ſuis olim numinibus infra Iouis ſolium collocatis manifeſtiſſimi idololatræ facti tabant. Deinde mutuas preces petere inter ſe eiuſdem corporis membra, tantiſper dum in hac vita alij alios de rebus noſtris certiores facere poſſumus, non eſt ſanè homines inuocare, aut Chriſto mediatores ſubordinare, quod illi faciunt: ſed potius vnà cum fratribus in eiuſdem mediatoris nomine cõmunem Patrem inuocare, quæ συμπάθεια gratiſſimũ eſt Deo ſacrificium.*

Q V. Sed & ipſe Spiritus ſanctus dicitur pro nobis ἐντυγχάνειν. Rom. 8.26

R. *Nempe, quoniam nos ingemiſcere & ritè precari docet, quemadmodum etiam clamare ab eodem Apoſtolo dicitur.*

Rom. 8. 15

Q. At quis tandē erit iſtius interceſſionis finis?

R. *Nunquam ſanè, ne tum quidem quum apparuerit quod ſumus, cum Deo cohærebimus, niſi medij & mediatoris, adeóque capitis noſtri Ieſu Chriſti interuentu: cuius, hac quidem ratione, æternum eſt regnum & æternus Pontificatus. Ceſſabit tamen tota hæc regendæ & gubernandæ Eccleſiæ ratio, poſtquā nouiſſimo hoſte abolito, Morte videlicet, & electis omnibus cū ſuo capite in æternam vitam aſſertis, Deus erit omnia in omnibus.*

Q. Atqui hoc regnum Paulus dicit Patri tribuendum, Chriſtum autem ſubiiciendum.

1. Cor. 15. 28

R. *Paulus Chriſtū, vt Filium quidem, ſed in carne manifeſtatum, & cū ſuis membris coniunctum conſiderans, Deitati ſummam gloriā meritò tribuit, tunc maximè domitis omnibus hoſtibus patefaciendam. Subiectio verò iſta inferius quidem aliquid*

aliquid ipſa Deitate demonſtrat (nec enim vnquam creatura, ne in Chriſto quidem, exæquabitur creatori) ſed tamen ſummam ſecundũ eam quæ Deitatis propria eſt, beatitatem declarat in eo poſitam, quòd Deus nos quidem vnà cum noſtro capite, quatenus homo eſt, profidis & charis ſubiectis agnitos ſummè tunc demũ beabit, reliquos autem vt rebelles æternis pœnis plectet.

QV. Sed quòd vltimo illo die dicitur vẽturus vt iudicet viuos & mortuos, difficultate non caret. Iudicium enim mox conſequi ſingulorum tum piorum tum impiorũ ex hac vita diſceſſum, ex plurimis Scripturæ locis, ac preſertim ex diuitis illius epulonis ſiue hiſtoria ſiue parabola liquet. 2. Tim. 4. 1 1. pet. 1. 8 Luc. 16. 19

RE. *Iudicium vel præiudiciũ potius iam tũ exequitur Deus aliquatenus, adeò quidem vt à piorum ſpiritibus à Chriſto capite ſuſceptis deguſtari æternæ vitæ felicitatem, & viciſſim ab impiorum ſpiritibus horrores æternæ mortis percipi minimè ſit dubitandum. Sed præterquam quòd illud præiudicium animas duntaxat reſpicit,* Luc. 16. 9 & 23. 43. act. 7. 60. phil. 1. 23

corporibus adhuc in puluere dormientibus, plena iudicij declaratio & exequutio qua toti homines vel æternæ vitæ compotes fient, vel in æternos cruciatus mittentur, in vltimum illum resurrectionis diem differtur.

Mat. 25. 31.

QV. Mortuos igitur eos intelligis non qui mortui tunc erunt quum iudicabuntur, sed qui prius mortui tũc resurrexerĩt. Quósnã igitur viuos intelligis, mortuis illis oppositos?

RE. *Quos tunc adhuc in hac vita superstites Christus in altero illo suo eóque glorioſiſſimo aduentu deprehendet: quibus etiam subita in alterum futuræ vel mortis æternæ, vel sempiternæ vitæ statum commutatio vice mortis & resurrectionis erit, vt Apostolus docet.*

1. Thess. 5
1. Cor. 15. 51.

QV. Quomodo æterna morte damnati dicuntur, qui tamen & ipsi nunquam morituri resurrexerint?

RE. *Quia viuere in tam horrẽdis & inenarrabilibus animi simul & corporis cruciatibus, non vitæ sed mortis potius nomen meretur.*

QV. Sed

QV. Sed resurrectio nonne est in genere ex Dei benignitate, & quidē in Christo, qui est primitiæ resurgentium?

RE. *Sicut in Filio Pater omnia condidit, ita etiam in eodem, id est interueniente eiusdem potentia, vitam recipient etiam impij. Sed vitæ benedictio malis, vt & cætera omnia, in maledictionem cedit. Non igitur resurgent impij resurrectionis Christi beneficio ac virtute (cohæret enim hæc resurrectio indissolubili nexu cum vita beata, ideóque soli credentes & Christo verè insiti, fiūt eius participes) sed Filij vt iud eis potestate & authoritate, qui quum sententiā illam de vtraque ac potissimùm de æterna morte pronuntiaret aduersus humanum genus, iam tum (exceptis quos ipse seruaturus erat à morte) homines damnabat resurrectionis pœna. Quomodo enim æterna esset pœna malorū, sicut omnino futura est, si corpora eorum perpetuò manerent in puluere, omnis sensus expertia?* 1. Cor. 15. 22. Gen 2. 17 & 3. 19

QV. Verùm quum corpus per se non moueatur, sed sit duntaxat a-

nimę inſtrumentum, videtur ęquum fuiſſe vt tota vel peccati pœna, vel iuſtitiæ gloria in animabus hæreret.

1. Cor. 15. 55

R. *Contradicit tota Scriptura quoties reſurrectionis meminit, quæ certè animabus propriè non competit. Deinde quãuis non per ſe peccet corpus, peccat tamen totus homo, ideoq; totus iure punitur. Chriſtus autem non eſſet integer redemptor, ſi corpora ſuorum in putrefactione deſereret: nec indiguit corporis aſſumptione, ſi ſolas animas noſtras liberaturus veniſſet.*

1. Teſ. 5. 23 heb. 2. 14

Q. Sed cuiuſmodi tandem erit illa vita æterna, & illa quoque mors ſempiterna?

R. *Fruſtra quidã hæc ſcrutãtur: nõ modò quia damnanda eſt curioſitas ad ea quærenda impellens quæ Dominus nobis adhuc abſcondit, verùm etiam quia extremæ eſt dementiæ id velle comprehendere cuius non ſis capax. Illam verò beatitatem ſi capere nunc poſſemus, iam eſſemus quodammodo ipſius compotes, quũ intellectus re intellecta hactenus ſaltem fruatur quatenus eam intelligit. Nec aliter de pœnis*

æternis

æternis existimandum est, quarum vel tenui apprehensione homines interdum ad desperationem & horrenda facinora ferri videmus. Quòd ergo nondum plenius intelligunt horrorem ignis illius æterni, patientiæ Dei tribuendum est, adhuc iram differetis. Quæramus igitur potius qua via illuc perueniatur, vt vitæ viam teneamus: & in ijs acquiescamus quæ nobis Dominus his de rebus Verbo suo patefecit, tantã videlicet futuram piorum quidem felicitatem, impiorum autem miseriam, vt neutra nunc à nobis, qualis & quanta quidem est, comprehendi possit.

Q. V. Quænam est igitur ad vitã æternam via?

R. *Christus ipse, vt ipsemet testatur:* Ioh. 10. *nec aliud iter est quod ad vitam ducat.*

Q. V. Atqui non omnes viuificat.

R. *Fateor, sed eos demum qui hanc viam ineunt. Inire autem hanc viam, est credẽdo sese Christo adiungere, atque adeò quodammodo sese illi incorporare.*

Q. V. Quídnam aũt Fidem vocas?

R. *Fidem qua distinguuntur Filij*

lucis à Filiis tenebrarum, non ſimpliciter vocamus illam notitiam ipſis etiam dæmonibus communem, qua fit vt quis agnoſcat vera eſſe quæcunque in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis continentur: ſed præterea firmam animi aſſenſionem illius notitiæ comitem, qua fit vt ſibi quiſpiam peculiariter applicet vitæ æternæ in Chriſto promiſſionem, perinde acſi iam eſſet illius plenè ac reipſa compos.

Rom. 1. 17

QV. Hanc Fidem naturáne nobis ſuppeditat, an gratia, an verò partim natura, partim gratia?

BZ. *Mera Dei regenerantis gratia.*

QV. Annon verò Dei notitia & κοινὴ ἔννοια inſunt hominis quantumuis corrupti naturæ?

BZ. *Inſunt profectò, ſed vt magnificentiſſimi ædificij rudera. Deinde hoc dico, fidem hanc non eſſe in notitia naturali ſitam, ſed adijciēda eſſe quæ præterea Deus mundo peculiariter per Prophetas & Apoſtolos patefecit, de quibus ne ſuſpicari quidem caro & ſanguis vnquam potuiſſet. Poſtremò & illud eſt obſeruandū in quo veluti*

Mat. 16. 17
Ioh. 1. 13. & 11, & 17 17. 25

luti

luti ſpecifica differentia fidei ſita eſt, quòd videlicet promiſſionem de vita æterna in Chriſto ſibi quiſque credens peculiariter applicet, quod teſtimonium Scriptura πληροφορίαν vocat. 1. Cor. 2. 9. Col. 2. 2. 1. Theſſ. 1. 5.

Q V. Digrediamur paululũ, obſecro, & de corruptione hominis diſſeramus. Quæro igitur in primis quid eſſe corruptum in natura humana arbitreris, deinde quænam ſit illa corruptio, ac poſtremò quod ſit aduerſus illam remedium.

B Z. *Ad primum quæſitũ reſpondeo, corruptum eſſe totum hominem, adeò quidem vt quod dicit Paulus, nos mortuos eſſe in peccatis noſtris, de ſingulis partibus hominis ſit intelligendum.* Ioh. 3. 6. Epheſ. 2. 1.

Q V. Num hæc corruptio eſſentiam ipſam attingit?

B Z. *Attingit ſanè quod ad corpus attinet, idcirco etiam mortale factum. De anima verò aliter ſentiendum eſt.*

Q V. Quidnã ergo de huius corruptione ſentiemus?

B Z. *In qualitatibus eſſe corruptam,*

quas, docendi gratia, nunc duas constituo, nempe Intelligentiam & Voluntatem.

QV. Qualitates ergo in anima constituis?

RE. *Sanè sed spirituali & simplici naturæ conuenientes: alioqui si anima siue spiritus nihil aliud quàm essentia est, age, tot secundarios deos constituamus quot sunt animæ humanæ. Sed vt spinosas multas Scholasticorũ quæstiones semel vitemus, scito me vnicã in homine animam ponere, quoniam plures conditas non lego, & vnicum corpus à pluribus animabus animari absurdum esse iudico. Deinde per qualitates animæ duo intelligo: primũ videlicet facultates ipsi animæ insitas, quas non minus ab ipso animæ subiecto distinguendas dico (distinctione tamen quæ spirituali naturæ conueniat) quàm attrahendi ferri vis à magnetis substantia distinguitur. deinde, istarum facultatum quas duas esse dixi, integritatem, siue rectitudinem, siue, vt loquitur Moses, bonitatem.*

Gen 1.31.

QV. Atqui

Q V. Atqui quum hominis lapſus nunquam poſſit ſatis grauiter intelligi & deſcribi, videntur ſuperficiarium quoddam malum & quod cute tenus hæreat, arbitrari originis vitium, qui in accidentibus ſiue qualitatibus dũtaxat illud ſitũ eſſe dicũt.

R. *Hominum ineptorum ſunt iſtæ cogitationes, nec aliter olim quibuſdam impoſuit Satan, qui ad ſuæ ſtultiſſimæ rationis normam voluerunt Chriſtiana dogmata inflectere. Per qualitates illas intelligimus non accidentia quædam extranea & ſuperuenientia, ſed quæ res ipſi natura hæreant, & tamen ab ipſa eſſentia & quaſi materia, cui inſunt, ſecernantur non reipſa, ſed ratione vel cogitatione.*

Q V. Ais igitur in ſumma, corruptas eſſe animę qualitates, non eſſentiam.

R. *Aio, & contrarium dogma dico eſſe certum & apertum ad Epicureiſmum iter, id eſt ad mortalitatem animæ adſtruendã: quoniam poſita eſſentiæ ipſius vel leuiſſima corruptione, neceſſe ſit rem*

ipſam iuteritui obnoxiã confiteri. Deinde corruptio ſiquidẽ eſt totius animæ, tota ſa tim interierit neceſſe eſt. Sin verò partis, quãnã diuiſio partium in ſimplici eſſentia, cuiuſmodi eſt anima, ſtatuetur? Itaq; iſtius tã abſurdi & tam impij dogmatis auctorẽ inſigniter inſanire oportet, nec minus excæcatos eſſe qui aures illi præbent.

QV. Iſtum mittamus, eorum videlicet delitias in quos iuſta ſua iudicia Dominus exercet. Nunc, age, quęnam iſta ſit corruptio, declara.

R. *Nec Intelligentia nec Voluntas ſublata eſt, vt modò dixi, quoniã periiſſe, aut planè humanã amplius nullã animam extitiſſe ſublatis illis, oporteret. Sed ita læſa eſt vtraque hæc facultas, vt vbi limpidiſſimum eſſe oportuit intelligentiæ oculũ (qualis etiam erat ante lapſum) in diuinis rebus nimirum, & quæ rectam conſcientiã attingunt, partim prorſus nihil videat, ne ipſius quidem Conditoris luce oblata, ſicuti videre eſt in præcipuis veræ Religionis placitis, quæ humana ratio non faſtidit modò, verùm etiam vt abſurda & falſa*

totis viribus oppugnat: partim si quid videt, perobscurè videat (cuiusmodi nonnulla nemo est qui non habeat animo innata: nonnulli verò considerandis sublimioribus rebus intenti, plura deprehenderunt) adeò vt statim illæ qualiscunque lucis scintillæ ad hoc ipsum relictæ vt homo sit prorsus ἀναπολόγητος, hominem in ipso veritatis vestibulo destituant, nedum vt hac face præeunte ad ipsum vsque sacrarium veritatis perueniat. Iam verò quod ad æquitatem inter homines colendam attinet, etsi paulo minus hebes est in his rebus humanæ mẽtis acies, ita videlicet iustum suum iudicium moderante Deo, vt humani generis societas ex qua Ecclesiam colligit, eò facilius conseruaretur, mox alioqui interitura si, prout merebatur hominis lapsus, omne æqui & iniqui, virtutis & vitij discrimen è mentibus hominum sublatum esset: tamen magnam esse tum in ipsis thesibus, tum præcipuè in hypothesibus diiudicandis hominum cæcitatem manifestè conuincunt repugnantiæ non modo in vulgi opinionibus, vbi quot capi- Rom. 1. 20

ta tot ſenſus, verùm etiam in ſapientiſſimorum philoſophorum & legiſlatorum ſententiis, in quibus conciliandis iampridem ſeſe fruſtra multi fatigarunt. Iam deſcendo ad alteram animi facultatem, quæ ſedes eſt affectuum. Eam verò quũ ab intelligentia vt ab auriga regi oportuerit, quoties tamen præceps illam rapit? neque id mirum, quum & Spiritum interdum ipſum abripiat. Omitto ἀταξίαν omnium naturalium affectuum, quod malum aliquatenus videt & damnat intelligentia repugnans, vna verò Dei lex prorſus detegit. Ad illam verò caliginem qua obtenebrata eſt & intelligendi & volendi facultas, accedit aliud etiam deterius malũ, quòd illa quidem haurit mendacium, & Dei ſapientiæ vltro reluctatur etiam conuicta: iſta verò tota ad vitium etiam contra qualiſcunque illas rationis reprehenſiones vltro fertur, nec quicquã rectè vel appetere vel fugere poteſt, tota videlicet peccato mancipata.

Rom. 7. 19.

Rom. 7. 8. & 9.

Q V. An igitur ſtipites ſumus?

R. *Minimè: neque enim vel intelli-*

telligendi vel volendi facultate hominem ſpolio, quum & cæcam & peruerſam eſſe dico ipſius intelligentiam ac voluntatem.

Q V. Ergo liberum arbitrium tollis.

R. *Si liberum vocas ſpontaneum, tantum abeſt vt id tollam, vt contra totũ animum ad malum vltro ac ſponte ferri dicam. Sin liberum vocas quod ex ſeſe vel tantillum poſſit ad alterutrum, id eſt ad verè bonum etiam inclinari, hoc planè inficior, totius Scripturæ teſtimoniis penè infinitis fretus, & perpetua experientia* Rom. 3. 11
edoctus: quum ne vnum quidem in tanto hominum numero proferre poſſis, (exceptis Sanctis) qui verè bonum cognouerit, nedum appetierit.

Q V. Quo loco igitur Philoſophicas virtutes ponis?

R. *Primùm dico veras virtutes pleraſque ne in mentem quidem philoſophis non Chriſtianis veniſſe: deinde eas ipſas quas cognouerunt non ſatis plenè ab eis deſcribi: denique ne philoſophicis quidem virtutibus vllum vnquã præ-*

d.

ditum hominem absque regeneratione vllo seculo repertum.

QV. At certè philosophicæ virtutes peccata non sunt.

Ioh. 3. 4 ℞. *Imò peccata, si peccatum est ἀνομία, id est, quicquid à lege Domini vel minimùm aberrat.*

QV. Atqui posita peccandi necessitate (poni autem necesse est sublata consultatione & electione) peccatum potius tollere videris.

℞. *Falsa est hæc consequutio multis modis: Nec enim necessitas excusat à scelere, si quis vltrò in eius compedes sese coniecerit. Ista verò necessitas de qua nũc ago, non à natura est, sed à voluntario hominis lapsu. Deinde neque deliberationem, neque electionem tollo, sed hominem non regenitum dico, non posse non malè deliberare, non posse non malè eligere, propter penitus corruptam & intelligendi & volendi facultatem.*

QV. Sed ridiculum videtur arbitrari aliquã esse electionem, nisi mediam illam inter bonum & malum sta-

ſtatuas.

Rꝛ. *Imò ridiculum eſt quod dicis. Aliqua enim eſt etiã inter malum & malũ electio. Itaq; tum quoq; quum ſuadet ratio quod minus malum eſt, voluntas verò vel quod deterius eſt amplectitur, vt plerunque ſolet, vel à ratione ſe regiſinit, eligit profectò, ſed ſemper malè.*

QV. Imò rationis non eſt malum ſuadere.

Rꝛ. *Ita quidem illa ſibi perſuadet. Malum enim ſpeciem boni induit vt rationi probetur. Sed vera dignoſcendi boni regula ex Dei Lege petenda eſt, non autem ex corrupta hominis intelligentia. Ergo illud etiam quod homo ψυχικὸς (vt loquitur Apoſtolus) bonum eſſe putat, & tanquam bonum appetit, à Spiritu Dei malũ dicitur, vt à verè bono ſemper aliquo modo deflectens. Nam certè quod ex tam impura cloaca promanat, etiam ſi non tam ſordidum eſt interdum quàm ipſæ meræ illius ſordes, tamen impurum ſit oportet.* 1. Cor. 2. 14

QV. Adhuc non intelligo quomodo liberum dicatur quod neceſſi-

tate ad vnam tãtùm partem feratur.

B. *Memineris igitur differre Coactionem à Neceſsitat, quoniam neceſſaria ſimul & voluntaria multa ſunt, cuiuſmodi ſaltem fuiſſe Chriſti mortem non negabis: coactum verò ſimul & voluntarium eſſe nihil poteſt, ne in ijs quidem quæ vellemus nolle, vt quum nautæ iactu ram faciunt. Deinde vide quæſo paulò propius quomodo libertatem definias. Vter enim tibi plenius liber videtur, an qui in eo ſtatu eſt vt vel liber vel ſeruus eſſe poſsit, an verò qui tam liber eſt vt nullo modo de ſeruiendo ne cogitare quidem poſsit? Certè ſi liberum arbitrium id demũ agnoſcis quod vel ad bonum vel ad malũ ferri poteſt, & Deum & Angelos, & nos ipſos poſtquam erimus in cælum recepti, iſta libertate ſpoliaueris. Imò de hoc quoque ambigi poſſe videtur, Fueritne ante auditum Satanam homo ille primus eo arbitrio præditus quo in vtranuis partẽ deliberaret. Quî enim cadere potuit malũ in deliberationẽ, quod nondũ in mũdum introierat: vt mihi quidẽ Adam antea videatur*

deatur ad vnicum bonum ſponte toto animo & corpore contendiſſe abſque vlla prorſus contraria cogitatione vel diſceptatione, nedum προαιρέσει: quæ omnia in humanum ingenium inuexit Satan, introducta in nobis concupiſcentia. Itaque verè arbor illa cognominata eſt arbor ſcientiæ boni & mali, quum antea ſolum bonũ ab hominibus noſceretur & appeteretur, cuius obliuionem fructus illius eſus ſic induxit, vt homines ab eo tempore de bonorum & malorum finibus diſceptare non deſierint, quanuis intra mali limites concluſi. Summa autem horum eſt, Libero demum arbitrio præditus eſſe, qui à ſeruitute peccati ſunt manumiſſi, cuius libertatis tunc demum perfectæ futuræ quũ prorſus erimus in altera vita æterna ἀναμάρτητοι, certum pignus habent Dei Spiritum. Ioh. 18.36 Rom. 6.16, & 8.16

QV. Ergo in primæ gratiæ receptione homines ſeſe habent merè παθητικῶς, nec ſunt gratiæ Dei συνέργοι.

R. *Sanè ſi ſpectes ordinẽ cauſarum*

& primum illud initium gratiæ, qua nos refingit Dominus fateri neceſſe eſt illam à Deo in ſolidum proficiſci, qui nos prior diligit adhuc inimicos, à nobis verò duntaxat recipi. Sin verò temporis punctum quo Deus in nobis agit cõſideres, ſimul eodémque momento nobis datur vt poſſimus velle recipere, & volumus recipere: alioqui inanis eſſet gratia. Itaque qui iſtiuſmodi συνεργείαν quaſi gratiæ Dei repugnantem oppugnant, multis modis imperitiam ſuam produnt, quum hæc ipſa συνέργεια ſit gratiæ Dei donum, ita illi cooperans, vt ſit quidem ordine cauſarum poſterior, ſicut effectum efficiẽtem cauſam ſubſequitur, ac proinde omnia in ſolidũ vni gratiæ Dei accepta ferãtur: ſed reipſa tamen, ſimul eodémque momento efficiat Deus vt per gratiam cognoſcamus, & nos per gratiam reipſa cognoſcamus: efficiat per gratiam vt velimus, & per gratiã reipſa velimus: efficiat denique per gratiam vt faciamus, & per gratiam reipſa faciamus. Nec enim cauſa δυνάμει efficiens, dici poteſt ἐνεργείᾳ efficiens, quin reipſa exiſtat

Rom. 5. 10
1. Ioh. 4. 19
Tit. 3. 5

exiſtat effectum. Præterea, quum homini non ſit per peccatum adempta neque intelligendi neque volendi facultas, vt antè diximus, ſed duntaxat rectè intelligendi & rectè volendi facultas, in eo ſaltem συνέργια naturalis negari nō poteſt, quòd quum prima gratia diſponens non niſi ab intelligente & volente recipiatur, & homines natura ſint in genere intelligentes & volentes, homo non vt ſtipes, ſed vt intelligentia & voluntate præditus exhibitam gratiā recipiat: & quatenus quidem intelligit & vult ſit Deo conditori συνεργός, à quo naturales illas facultates accepit: quatenus autem bene intelligit & vult, id inſolidum aduentitiæ illi gratiæ tribuatur, qua fit vt ad ſe præparandum, ad rectè intelligendum, volendum, & faciendum accepta gratia, ſeſe præparet, rectè intelligat, velit, & faciat.

Q. V. De primæ verò gratiæ effectis quid tandem ſtatuendum?

R. *Quòd prima gratia efficax eſt, alteri Dei gratiæ tribuendū eſt, quoniā prima ſtatim excideremus niſi altera ſubſe-*

& primum illud initium gratiæ, qua nos refingit Dominus fateri necesse est illam à Deo in solidum proficisci, qui nos prior diligit adhuc inimicos, à nobis verò duntaxat recipi. Sin verò temporis punctum quo Deus in nobis agit cõsideres, simul eodémque momento nobis datur vt possimus velle recipere, & volumus recipere: alioqui inanis esset gratia. Itaque qui istiusmodi συνεργείαν quasi gratiæ Dei repugnantem oppugnant, multis modis imperitiam suam produnt, quum hæc ipsa συνέργεια sit gratiæ Dei donum, ita illi cooperans, vt sit quidem ordine causarum posterior, sicut effectum efficiẽtem causam subsequitur, ac proinde omnia in solidũ vni gratiæ Dei accepta ferãtur: sed reipsa tamen, simul eodémque momento efficiat Deus vt per gratiam cognoscamus, & nos per gratiam reipsa cognoscamus: efficiat per gratiam vt velimus, & per gratiã reipsa velimus: efficiat denique per gratiam vt faciamus, & per gratiam reipsa faciamus. Nec enim causa δυνάμει efficiens, dici potest ἐνεργείᾳ efficiens, quin reipsa existat

Rom. 5. 10
1. Ioh. 4. 19
Tit. 3. 5

exiſtat effectum. Præterea, quum homini non ſit per peccatum adempta neque intelligendi neque volendi facultas, vt antè diximus, ſed duntaxat rectè intelligendi & rectè volendi facultas, in eo ſaltem σωτηρία naturalis negari nō poteſt, quòd quum prima gratia diſponens non niſi ab intelligente & volente recipiatur, & homines natura ſint in genere intelligentes & volentes, homo non vt ſtipes, ſed vt intelligentia & voluntate præditus exhibitam gratiā recipiat: & quatenus quidem intelligit & vult ſit Deo conditori σωτῆρι, à quo naturales illas facultates accepit: quatenus autem bene intelligit & vult, id inſolidum aduentitiæ illi gratiæ tribuatur, qua fit vt ad ſe præparandum, ad rectè intelligendum, volendum, & faciendum accepta gratia, ſeſe præparet, rectè intelligat, velit, & faciat.

QV. De primæ verò gratiæ effectis quid tandem ſtatuendum?

R. *Quòd prima gratia efficax eſt, alteri Dei gratiæ tribuendū eſt, quoniā prima ſtatim exciderem⁹ niſi altera ſubſe-*

quæretur, quæ primam redderet efficacem, ac ſic deinceps à gratia ad gratiam progrediendum eſt.

QV. Sed negari vix poſſit nos accepta prima gratia, cæteris ſubſequẽtibus συνεργείαις, ac proinde prioris meritis poſteriorem tribui.

Rom. 4.4 BZ. *Apage meriti nomen, quod gratiæ repugnat ex diametro, quantumlibet Sophiſtæ ſemipelagiani gerriant. Gratiæ primæ nos συνεργεῖν qui negat, primæ gratiæ efficacitatẽ negat. Sed quod de prima συνεργείᾳ dixi, de conſequentibus dico. Quòd enim prima gratia vſque eò efficax eſt vt ea benè vtamur, ab altera gratia eſt: quæ niſi adeſſet & quidem gratis data & gratis efficax, nonmodò non promoueremus, ſed prorſus ad conditionem priore multò peiorem regrederemur. Deinde hæc συνέργεια quæ totavt diximus ab altera gratia eſt. quid tandem habet quod compenſationem vllam mereatur? nihil profectò, quum etiam benè vtcunque illa vtentes, idq; per gratiam, ſi res ipſa inſpiciatur, illa potius abutamur.*

1. Cor. 4.7

tamur. Adduntur ergo talenta fateor fidelibus seruis, sed rursum ex mera gratia est quòd probatur seruorum opera, quòd fideles serui habentur, quòd denique merces illis datur, non alia ratione debita, quàm quòd & gratuitò fuerit promissa, & gratuitò tribuatur. Mat. 25. 14 Rom. 4. 4

Q. V. Sed illud quoque libenter quærierim, Quomodo tandem hæc corruptio in humanum genus propagetur, naturáne videlicet an imitatione.

R. *Quum ingressam esse satis constet, quæsitū potius oportuit quomodo expellatur. Tamen hîc quoque propter multos perniciosos errores, tibi satisfacere conabor. Respondeo igitur natura propagari malum, quod postea imitatione confirmatur.*

Q. V. Quomodo id probaueris?

R. *Multis Scripturæ testimoniis quū voles, sed in primis argumento Pauli ab effectis sumpto: Moriuntur enim etiam qui Adamum per ætatem imitari non potuerunt, Mors autem est peccati stipen-* Rom. 5. 14 & 6. 23

dium.

QV. Quid ſi mortem illam primam quæ eſt corporis & animi ſeparatio, & poſtea eiuſdem corporis in ſua principia reſolutio, naturalem eſſe dixerim? Omnia enim compoſita naturaliter diſſolutioni ſunt obnoxia.

Gen. 2. 17, & 3. 19. Rom. 5. 12

R. *Reſellet te Deus ipſe apud Moſem loquens. Præterea non eſt neceſſarium hoc argumentum. Etſi enim diſſolui ſuapte natura poteſt quicquid compoſitum eſt, tamen non prius reipſa diſſoluitur quin deſinat à componente cauſa ſuſtentari. Quid igitur abſurdi loquor, quum dico ſic fuiſſe conditum hominem ex anima & corpore, & quidem corpus hominis ex elementis compoſitum, vt hæc perpetuò niſi peccatū interueniſſet ſuſtentaturus fuerit Creator?*

QV. Fateor ergo ex mortalibus corporibus gigni mortalia corpora, ſed quorſum hoc ad animæ corruptionem, niſi fortè cēſes animas etiã eſſe ex traduce.

R. *Quid veteres multi hac de re ſenſe-*

ſenſerint, nihil moror, nec magnopere contendere hac de re velim, modo conſtet de naturali natiuæ labis propagatione. Tamen hoc non puto mihi diſſimulandũ, doctrinam de animæ traduce mihi perabſurdam videri, quoniam aut totam animam aut partem eius traduci oporteret. Si totam, interire certe partes ſtatim neceſſe fuerit: ſin verò partem, quomodo ſimplicis eſſentiæ pars aliqua decidetur?

QV. Si non eſt anima ex patre corrupto, ſed ex ſpirituum Patre ac cõditore, vndénam illa corruptio? an ex corporis coniuncti contagione, vt ab impuro vaſe vnguentum quò prẽſtantius eſt, cò citius afficitur? Rom. 12.

R. *Mihi quidem videtur hæc ratio moderatis omnibus ingeniis poſſe ſatisfacere. Sed vtcunq; ſit, illud ſatis ſit, Adamũ ſicut ſibi & ſuis imaginem Dei acceperat ita ſibi ac ſuis amiſiſſe, Deo, iuxta quod interminatus fuerat, conditas & infuſas corpori animas ſtatim deſerente: vnde fit vt natura filii iræ omnes naſcantur, corruptionis videlicet & paterni quoque reatus* Rom. 5. 1. & deinceps

hæredes.

QV. Iam ergo ad remedium huius mali, vnicum videlicet Christum fide, quæ donũ Dei est, apprehensum redeamus. Velim igitur mihi explices quid per istam apprehensionem, insitionem, incorporationem, κοινωνίαν denique Christi intelligas.

℟. *Qui vllam ipsarum substantiarũ συναφὴν aut coniunctionem imaginãtur, quemcunque tandem eius modum somnient, prorsus hallucinantur, corporaliter diiudicantes spiritualia & μυστηριώδη. Qui rursus solam Christi energiam siue efficacitatem statuunt, id esse cuius fimus participes, non videntur satis expendisse expressa Scripturæ testimonia, quibus distinctè nobis Christus ipse donari dicitur: deinde ipsius in nos ἐνέργεια describitur. Duo igitur sunt constituẽda, vt quæ sit hæc communicatio intelligatur: quorum hoc prius est, quòd ipsemet Christus noster fiat ex Patris beneficio, vt possint dicere omnes credentes, Hæc res, nempe Christus Filius Dei manifestatus in carne, mea est Patris*

Esa. 9. 6
Rom. 8. 31
1. cor 10. 16
Eph. 5. 30

dono

dono & liberalitate, vt illa vti frui possim.

Q. Hîc rogo vt mihi liceat infari, Dominus est certè rei donatæ, qui sic loquitur, Nũ ergò domini sumus ipsius Christi, ac non potius ille noster est Dominus?

R. *Dominum nostrum esse Iesum Christum, & quidem optimo iure, quum & nos ipsi donarit Pater, & ipse nos precio suo ipsius redemerit: si quis inficiatur, anathema sit. Quum ergo nostrum, id est credentium esse dico, nullum nobis in ipsum imperium datum esse intelligo, sed datum, & natum esse nobis dico: sicut exempli gratia, Quispiã fit vxoris maritus, cui pareat quidem vxor & obsequatur, sed ita vt vicissim dicere possit vxor, sicut ego sum viri istius cui dedit me pater, vt ipse mihi dominetur, sic ille vicissim meus est maritus, qui se se mihi vtendum tradidit, vt me videlicet vxorem diligat & foueat: qua similitudine non ignoras Prophetas & Apostolum passim ad hanc designandam communicationem vti. Alterum huius com-*

Ioh. 13. 3. & 17. 23

1. Cor. 6. 20. & 7. 23

Rom. 7. 2. & deinceps. 2. Cor. 11. 2 Ephes. 5. 25

municationis caput est quod ipse vsque adeò sit noster, vt nulla corporum coniunctio seu naturalis seu artificiosa possit cum ista comparari: non huc tamen respiciens vt ex illius substantia vel persona, & nostris personis seu substantiis, vna quæpiam persona vel substantia coeat (quæ omnia commenta crassissima sunt, & à regno cælorum prorsus aliena: sed huc dūtaxat spectans, vt eò certior, coniunctior, efficacior sit ipsius in nos spiritualis energia. Interea tamen illud certum est, ita ipsum fieri nostrum, vt verè fiat vnum nobiscum, nec tā firmè cohæreant naturaliter caput & mēbra corporis alicuius, quàm firma est & arcta ista Christi nobiscum coniunctio, vt simus caro ex carne eius, & os ex ossibus eius: sed tota spiritualis & mystica.

Eph. 5. 30

QV. Explica, quæso, cur spiritualem voces.

R. *Spiritualem voco, non respectu eius quod communicatur (certum enim est tota humanitate, nec solo spiritu Christū nobis communicari) nec etiam quasi imaginaria sit, ista coniunctio, & in sola cogitatione*

tione posita, cui res ipsa non subsit, non denique quasi solius consensionis habita ratione dicamur vnum cum Christo fieri, sicuti scribit Lucas, Cor vnũ & animam vnam credentium fuisse: sed quòd animi quidem & fidei tota hæc sit apprehensio, Spiritus sanctus verò sit is demum cuius vinculo res istæ tam procul quod ad locorũ interuallum attinet, dissitæ connectantur: idq; vt in spirituali ista copulatione Christus quidem instar capitis, Ecclesia verò sit corporis instar, ab illo videlicet vno capite spiritualem vitam hauriens. Itaque tota illaipsarum substantiarum realis coalitio, (de qua tam multi iampridem adeò pertinaciter contendunt, vnde postea in Cœnã Domini inuectum est portentũ illud Trãs. substantiationis & Consubstantiationis) crassũ est humanæ vanitatis commentum, neque spirituali vitæ, neq; corporis Christi veritati, neque ipsi analogiæ fidei vllo modo conueniens.

Act. 4. 32

Eph. 4 15

QV. Audio quidem fide Christũ ipsum à fidelibus percipi, audio Spiritus sancti vinculo Ecclesiam cum suo

capite ſpiritualiter copulari: ſed non percipio nihilominus, quînam iſta tã procul diſſita vniantur.

Eph. 5. 32

R. *Concedo. Nec enim fruſtrà exclamat Paulus magnum eſſe hoc arcanum. Rectè igitur monet quidam, Potius eſſe nobis laborandum vt Chriſtum ſentiamus in nobis viuentem, quàm vt communicationis iſtius ratio nobis pateat: vtpote quæ captum noſtrum ſuperet, quañuis ſpiritualẽ eſſe & fidei inſtrumento fieri conſtet.*

Q V. Quid ſi nobis Chriſtum cõmunicari dicamus duntaxat quod ad energiam & efficaciam attinet? & illum Apoſtoli locum, Membra ſumus corporis eius ex eius carne & ex eius oſsibus: ad Chriſti ἐνσάρκωσιν referamus?

Ephe. 5. 30

R. *Scriptura manifeſtius loquitur de ipſiuſmet Chriſti communicatione, vt poſtea vitam ex eo nobiſcum vnito hauriamus, quàm vt ad ſolam energiam id accõmodari poſsit: quũ ſit potius & ἐνεργητικῆς κοινωνίας & beneficii imputationis fundamentũ: id quod etiã ex corporalis alimenti*

ana-

logia, cuius Christus ipſe author eſt, manifeſtum eſt: Quemadmodum enim vt ex cibo alimentum ad hanc ſuſtinendam vitam neceſſarium percipias, tuum eouſque fieri oportet vt etiam comedas: ſic quoque vt ex Chriſto ſpiritualis æternæque vitæ veluti ſuccum hauriamus, illum à nobis ore fidei apprehendi & ſpiritualiter quaſi in nos traiici neceſſe eſt. Locus autem ille Pauli de aſſumptione humanæ naturæ cõmodè explicari non poteſt. Secundum hanc enim dicere fas eſſet quibuſuis ſine exceptione hominibus, ſe eſſe membra Chriſti: quod tamẽ vt Eccleſiæ vnius proprium refert Apoſtolus: id quod etiam corporalis cõiugii analogia requirit. Nec enim vir quius cum quauis muliere eſt caro vna, ſed is demũ qui cum muliere cuius maritus eſt, & ea demum mulier quæ cum viro cuius vxor eſt, ſeſe coniunxit. Hæc igitur copulatio in vnam carnem non eſt naturæ ſed pacti, vt & noſtra cum Chriſto in vnum Spiritum coniunctio. Præterea ſi hoc ſignificare voluiſſet Apoſtolus, dicere certe potius debuiſſet Chriſtum eſſe ex carne Eph. 5 32

noſtra, & ex oſſibus noſtris ſi quidem ille ſua ἐνσωματώσει ſeſe nobiſcum coniunxit, nos autem illi fide coniungimur.

QV. Perge quæſo & iam oſtende quid ex Chriſto ſpiritualiter, vt dixiſti, per fidem nobis cõmunicato, percipiamus.

Eph. 1.18, & 3.8.19

RE. *Rurſum ingredimur abyſſũ cuius latitudinẽ, altitudinẽ profunditatem, quã alioqui teſte Apoſtolo, cognitionem noſtrã* 2.Cor.2.10 *ſuperet, hactenus nouimus, quatenus Spiritus quo donati ſumus profunda Dei ſcrutatur. Qui proprio Filio nõ pepercit, inquit* Rom. 8.32 *idem Apoſtolus, ſed pro nobis omnibus tradidit eũ, quomodo non etiã cum eo donaret nobis omnia? reſpõdeo igitur omnia ad ſalutem neceſſaria ex Chriſto per fidem apprehenſo in nos promanare.*

QV. Sed quænam illa ſint velim mihi ſi fieri poteſt, per partes explicari.

RE. *Reſpondeo igitur quædam ſic eſſe Chriſti vt in ipſo vno ſemper hæreant, nec aliter quàm imputatione noſtra fiant, cuiuſmodi ſunt quæ noſtri cauſa peregit, nẽ-*

pe

pe quòd factus sub Lege omnem iustitiam impleuit, & pœnas nostris peccatis debitas luit: quod vtrumque intelligit Apostolus Obedientiæ nomine. Quædam verò sic in Christo residentvt tamen eorum vis & energia in nos propagetur, cuiusmodi est summa illa naturæ humanæ in Christo puritas omnibus absque mensura donis exornata, quæ non modo sit nostra per imputationem, verùm etiam est nostræ regenerationis & omnium consequentium spiritualium donorum fons & origo.

Gal. 4. 4 mat. 3. 15 rom. 5. 19 phil. 2. 8

Rom. 8. 3, & 4

Rom. 6. 6 Gal. 2. 20

QV. Quid vocas imputationem?

R. *Dei Patris beneficiũ quo dignatur obedientiam illam Christi nostram ducere, perinde acsi ipsimet impleuissemus Legẽ, & pro peccatis nostris satisfeciſſemus.*

QV. Sed an hoc conuenit Dei naturæ, vt aliena iustitia quispiam iustus habeatur?

R. *Aliena quidem hæc iustitia est, quatenus extra nos est & in alio subiecto, nempe in Christo residens: sed aliena nõ est, quatenus illud ipsum subiectum, nempe Christus, nostrum est: atque adeò spiri-*

1. Cor. 1. 30 ioh. 17. 22. 23

tualiter per fidem factum est vnum nobiscum.

QV. Imò si vnum est factum nobiscum iam videtur quicquid in se habet, reipsa quoque & non sola imputatione nostrum esse.

BZ. *Posita sanè ipsius substantiæ Christi copulatione & vnitione reali cum nostra, quod ex eorum dogmate sequitur qui ore etiam ipso comedi & trahici in nos carnem & sanguinem Christi tradunt, illud consequeretur quod tu dicis: ex quo etiam intelligi potest quantopere & transsubstantiationis & consubstantiationis dogma, præterquàm quòd carnis Christi veritatem tollit, sit etiam doctrinæ de iustitia imputata repugnans. Atego antea dixi verè quidem nobis Christum ipsum communicari, sed merè spirituale esse hoc mysterium, cuius vinculum quidem sit Spiritus sanctus, scopus autem sit non vlla ipsarum substantiarum aut personarum coalitio (quorsum enim hoc?) sed vt spiritualis vita sic à Christo mystico capite, ad subiectum mysticum corpus defluat.*

Ephes. 5. 25. & 4. 16

QV. Re-

Q V. Redeamus ad imputationē.

R. *Redeo igitur & dico, ſicut quicquid in nobis eſt defectus iuſtitiæ, & labis peccati, extrà Chriſtum eſt, & tamen Chriſto imputatum eſt: ſic viciſſim obedientiam Chriſti extra nos quidem eſſe, putà vni ſubiecto Chriſti inhærentem, & tamen nobis imputari. Huius autem imputationis hoc eſt fundamentum, quòd & ille vnum eſt nobiſcum & nos vnum cum illo (ſpiritualiſicut diximus modo & ratione) vt ille quidem fuerit non in ſeſe ſed in nobis peccator, & nos non in nobis ſed in ipſo iuſti cenſeamur.*

Q V. Atqui dicitur fides Abrahamo imputata ad iuſtitiam, nō autem iſta Chriſti obedientia. Rom. 4. 3

R. *Noſti illud, Quæ ſubordinata ſunt non repugnare. Fides dicitur imputari ad iuſtitiam, quoniam organum eſt quo apprehenditur obedientia illa cuius imputatione iuſti ſimus: qua ratione etiā dicimur* Rom. 5. 19 *fide iuſtificari, quatenus nimirum Chriſti obedientiam apprehendit cuius imputatione iuſti cenſemur.*

QV. Supereſt adhuc hic ſcrupulus, Quomodo quod dicis Chriſtũ fide apprehendi, cũ eo cõſentiat quod prius declaraſti, quum affirmares à Chriſto per fidem apprehẽſo omnia dona in nos promanare. Videtur enim conſequi vel fidem non eſſe donum Patris in Chriſto, vel iſtud poſterius falſum eſſe: Omnino enim fides apprehenſioni præeat oportet, ſi fide Chriſtus apprehenditur.

Eph. 1. 4 2. tim. 1. 9 rom. 11. 35 1. joh. 4. 19

RE. *Principium ſalutis noſtræ à Deo eſt, qui prior nos nõdum natos, imò etiam ante iacta mundi fundamenta, elegit in Chriſto, & prior nos ſuo tempore natos diligit & cognoſcit, non Chriſto iam reipſa donatos & inſitos, ſed donandos & inſerẽdos. Itaque ſi temporis momentum ſpectes. ſimul credimus, ſimul Chriſtum oblatum apprehendimus. Nec enim cauſa poteſt eſſe reipſa efficiens, niſi prodeunte ſimul effecto. Sin verò cauſarum ordinem cõſideres, fateor fidei (& quidem veræ) rudimẽtum præire Chriſti apprehenſioni, ac proinde nõ re ipſa inſitis, ſed inſerendis dari. Minimè*

tamen

tamen hinc consequitur fidē nobis in Christo non donari, quum Pater ille cælestis in vno Filio acquiescens, non tunc primùm nos contempletur in Christo, quum iam ei sumus donati, sed in eo nos elegerit, cognouerit, dilexerit, etiam ante iacta mundi fundamenta, nedum quum adhuc ipsum odissemus, sicut & ipse Christus prior nos apprehendit vt ipsum apprehendamus. Thili. 3. 12 *Deinde quod in nobis per gratiam cœptum est, vt ita Christo insereremur, ac proinde secundum ordinem causarum, ante ipsius Christi apprehensionem: id in* Rom. 5. 8 *nobis postea augescit & confirmatur eadē gratia in eodem Christo iam per fidem apprehenso.*

QV. Quæ'nā igitur illa sunt quæ in Christo adipiscimur?

℟. *Paulus planissimè simul & breuissimè totum hoc argumētum pertractat,* 1. Cor. 1. 30 *quum Christum dicit nobis factum à Deo Patre, sapientiam, iustificationem, sanctificationem, redemptionem.*

QV. Quid illud est, factum esse nobis sapientiam?

Luc.1.77 R. *Illud ipſum quod dicit Zacharias, dum filium Iohannẽ Baptiſtam dicit miſſum eſſe vt ſalutis ſcientiam, id eſt Chriſtum ipſum commonſtraret. Hæc enim eſt*
Col.2.3 *vera ſapientia, quam vnus Chriſtus docet quum hominibus ſeipſum patefacit, quod*
Mat.17.5 *etiam teſtificatus eſt Pater ſonora è cælis voce dicens, Ipſum audite.*

Q. An hoc recenſes inter dona quæ ex Chriſto percipimus?

R. *Ipſum Chriſtum ſic intelligo datũ eſſe nobis vnicum veræ illius ac germanæ ſapientiæ magiſtrũ, vt ſeipſum nos doceret. Eſt enim ipſe & doctor & illud quod docetur. Itaque inter Chriſti dona præcipuum illud & primarium eſt, quòd ſeipſum nobis donat, dum nos inſtruit ſui notitia.*

Q. Quid Iuſtificationem vocat Paulus hoc loco?

R. *Illud quo iuſti ſimus, id eſt conſ-*
Eph.1.4 *que perfecti, integri, ἀμεμπτοι & ἀμωμοι, vt pleniſſimè non tantùm aboleatur quicquid in nobis totis ineſt turpitudinis qua Deus ſummè purus offendi vllo modo poſſit,*

ſit: verùm etiam in nobis cõperiatur quicquid in hac humana natura vſque adeò poteſt eum delectare vt illud vita æterna pro bona ſua voluntate coronet. Denique eius iuſtitiæ ex qua iuſtus quiſpiam coram Deo cenſetur, Lex Dei certa & inuariata eſt norma & regula. Lex autem nõ modò prohibet non facienda, idq; addita mortis æternæ comminatione, verùm etiam præcipit perfectam Dei & proximi dilectionem. Itaque vt iuſtus coram Deo ſit quiſpiam duo requiruntur neceſſariò, nempe abſentia omnis peccati, & omnis ſecũdum Legem iuſtitiæ impletio. Iac. 2. 10

Q V. At in nemine mortaliũ hoc vnquam inuentum fuit.

R. *Chriſtum excipe, qui non modò nunquam peccauit, verùm etiam pleniſſimè totam Legem implenit.*

Q V. Dic quæſo, Chriſtus ab ipſo conceptionis momento an non perfectè iuſtus erat?

R. *Quatenus Deus, non modò iuſtus eſt ab æterno, verùm etiam ipſamet iuſtitia, id eſt, ſumma perfectiſſimaq; puritas.*

Mat. 1. 20
luc. 1. 35

Quatenus autẽ est homo, fuit ab ipso conce
ptæ carnis momento suprà ipsos etiam An-
gelos sanctitate excellẽti præditus. Sed iu-
stitiæ nomine nunc intelligimus, id quod
Mat. 3. 15
& 17. 4.
& 19. 30
consequitur perfectam Legis Dei præsta-
tionem, quod tum demum habuit Christus
Phil. 3. 8.
9
postquam opus omne sibi mandatum con-
summauit. Hæc enim illa est iustitia cuius
imputatione iustificamur: non illa essentia-
1. Pet. 2. 22
lis quæ Deitatis est, nec illa habitualis, vt
ita loquar, puritas carnis Christi de qua
seorsim agemus: quæ quum non distingue-
ret Osiander, fœdissimè est hallucinatus.

QV. Sed nondum video quînam hæc iustitia sufficiat. Quoniam enim non modò non præstamus Legem, verùm etiam infinitis peccatis cooperti sumus, quomodo censebimur quasi nunquam peccauerimus, id est nullis peccatis contaminati, nisi prius eluãtur peccatorum nostrorum maculæ? Id autem fieri nisi persolutis pœnis non potest.

R. *Rectè dicis. Itaque quod dixi de*
Lege à Christo non modo non violata ve-
rùm

rùm etiam pleniſsimè & perfectiſsimè præſtita, ſic accipe vt ſatisfactionem pro omnibus credentium peccatis in primis comprehendat. Tenetur enim ex Lege quiſque Deum & proximum perfectè diligere, nõ indefinitè ſed definitè, id eſt habita ſuæ vocationis ratione. Vt, exempli gratia, ſi Magiſtratus duntaxat tanquam priuatus qui ſuam Deum dilexerit, officium feciſſe non dicetur, quia Deum diligere tanquã Magiſtratus tenetur: quod de cæteris etiam vocationum generibus intelligẽdum eſt. Miſſus autem fuit Chriſtus vt pœnas peccatis noſtris debitas lueret pro nobis: quod tota quidem ſua vita, in primis autem illo ſuo ſacrificio præſtitit, factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Itaque patiendo quoque agens, & pro nobis ſeipſum offerens, ſimul & Legem pro nobis impleuit, & pro noſtris peccata ſatisfecit. Phil. 2. 8

QV. Atqui Chriſtus quatenus homo factus eſt, videtur ad præſtandam Legis iuſtitiam, id eſt ad Deum & proximum perfectè diligendum

fuiſſe natura obligatus, quũ hæc Lex ſit humanæ ipſi naturæ impoſita. Itaque nõ nobis, ſed ſibi videtur Legem impleuiſſe, vt vitã ſibi promereretur, id quod de pœnis peccatorũ noſtrorum ab ipſo luendis dici non poteſt.

R. *Etiam ſi Chriſtum dicamus ſecundum carnem ſibi promeritum eſſe vitam æternam impletione Legis ad quam teneretur, non eſſet tamen abſurdum dicere tantam eſſe vim iſtius meriti, vt etiã ad credentes vſq; promanet. Sed illud ſatis rectè dici non poteſt: Quum enim vnita fuerit hæc humanitas τῷ λόγῳ vnione perſonali, & ita quidem vt etiam in ſeſe eſſet ſanctiſſima, quis exiſtimarit (ſi hæc aſſumpta natura extra mediatoris onus ſpectetur, quod non eſt per ſe humanitati coniunctum, ſed à Patre quidem pro bona ſua voluntate Filio demandatum, à Filio verò vltrò receptum) quis, inquam, exiſtimarit aliquid iſti aſſumptæ humanitati defuiſſe, quominus dignißima iam tum eſſet æterna illa vita beari, ab ipſo illius vnionis primo momento? Itaque hæc carnis ad*

præſtan-

præstandam Legem obligatio non est propriè naturæ ipsius, sed voluntatis, neque simpliciter ex eo quòd Christus homo est, sed ex eo quòd homo factus est pro nobis: quam conditionem vltrò subijt, & impleuit, non sibi, vt qui iam plenissimo iure beatissimus esset, sed nobis, pro quibus videlicet fieri voluit sub Lege, vt eos qui sub Lege erãt redimeret. Præterea vide quàm illud sit ἀσύστατον quod postremò dixisti de satisfactione pro nostris peccatis. Nam ea est vel potissima pars illius obedientiæ siue impletionis Legis, vt paulò antè probauimus. Ergo si Legem impleuit sibi, sua etiã causa mortuum fuisse fatearis oportet. Gal 4 3. & 4

QV. Ais igitur nos iustificari coram Deo, id est, iustos haberi ac pronuntiari, eò quòd imputetur nobis Christi obedientia, quæ duabus præcipuis partibus constet, satisfactione videlicet pro peccatis nostris, & plena omnis iustitiæ legalis præstatione.

R. *Aio.*

QV. Christus igitur quorsum præterea factus est nobis sanctifica-

fuiſſe natura obligatus, quũ hæc Lex ſit humanæ ipſi naturæ impoſita. Itaque nõ nobis, ſed ſibi videtur Legem impleuiſſe, vt vitã ſibi promereretur, id quod de pœnis peccatorũ noſtrorum ab ipſo luendis dici non poteſt.

R. *Etiam ſi Chriſtum dicamus ſecundum carnem ſibi promeritum eſſe vitam æternam impletione Legis ad quam teneretur, non eſſet tamen abſurdum dicere tantam eſſe vim iſtius meriti, vt etiã ad credentes vſq; promanet. Sed illud ſatis rectè dici non poteſt: Quum enim vnita fuerit hæc humanitas τῷ λόγῳ vnione perſonali, & ita quidem vt etiam in ſeſe eſſet ſanctiſſima, quis exiſtimarit (ſi hæc aſſumpta natura extra mediatoris onus ſpectetur, quod non eſt per ſe humanitati coniunctum, ſed à Patre quidem pro bona ſua voluntate Filio demandatum, à Filio verò vltrò receptum) quis, inquam, exiſtimarit aliquid iſti aſſumptæ humanitati defuiſſe, quominus digniſſima iam tum eſſet æterna illa vita beari, ab ipſo illius vnionis primo momento? Itaque hæc carnis ad*

præſtan-

præstandam Legem obligatio non est propriè naturæ ipsius, sed voluntatis, neque simpliciter ex eo quòd Christus homo est, sed ex eo quòd homo factus est pro nobis: quam conditionem vltrò subijt, & impleuit, non sibi, vt qui iam plenissimo iure beatissimus esset, sed nobis, pro quibus videlicet fieri voluit sub Lege, vt eos qui sub Lege erāt redimeret. Præterea vide quàm illud sit ἀσύστατον quod postremò dixisti de satisfactione pro nostris peccatis. Nam ea est vel potissima pars illius obedientiæ siue impletionis Legis, vt paulò antè probauimus. Ergo si Legem impleuit sibi, sua etiā causa mortuum fuisse fatearis oportet. Gal 4. & 4

Q. V. Ais igitur nos iustificari coram Deo, id est, iustos haberi ac pronuntiari, eò quòd imputetur nobis Christi obedientia, quæ duabus præcipuis partibus constet, satisfactione videlicet pro peccatis nostris, & plena omnis iustitiæ legalis præstatione.

R. *Aio.*

Q. V. Christus igitur quorsum præterea factus est nobis sanctifica-

tionem certè qui iustus habetur, itidem quoque sanctus censetur.

R. *Quisquis iustus est, idem, quoque sit sanctus necesse est, at non contra nisi noua gratia prioribus accedat: vt nos quidē antea iusti appellationem in hoc argumento accipi diximus, pro eo videlicet qui præterquam quòd expiatus in Christo peccatis non tenetur vt Legis transgressor, in eodē etiam impleuit Legis iustitiam. In summa, sanctitatem voco bonitatem & integritatem ipsius personæ: Iustitia verò non illa imputata, sed ea de qua nunc agimus*
1 Ioh. 3 7 *& à qua credentes denominantur in sese iusti, est illius sanctitatis partus: vt illa quidem arboris, ista verò sit fructus instar. Sic fuit sanctus, id est, bonus & integer creatus Adam, qui etiam iustus euasisset, si Legem à conditore positam seruasset.*

Q. V. At omnes homines sunt natura corrupti.

R. *Rursum excipe Christū alterum*
Mat. 1. 20 *Adamum, ex Spiritu sancto conceptum,*
Luc. 1. 35 *vt natura humana in ipso non tantum re-*
Rom. 8. 3 *ciperet amissam puritatem, verùm etiam*

in

in gradum bonitatis infinitis modis ſubli miorem eueheretur. Prior enim Adã conditus fuit duntaxat ad imaginem Dei, poſterior verò etiã Deus eſt, quoniam in ipſo æterno Dei Filio ſuſtentatur, qui aſſumptam naturam inenarrabiliter ſanctificauit, ídque vt fieret nobis ſanctificatio. Coloſſ. 2 2. Cor. 5. 18

QV. Cur verò Chriſtum vocas alterum Adamum?

Rr. *Quia ſicut Adamus conditus eſt, ex quo omnes homines naturali propagatione naſcerentur: ita Chriſtus humanam naturam ea cõditione aſſumpſit, vt omnes credentes in eo per gratiam ſpiritualiter regenerarentur.* Rom. 5. 18 1. cor. 15. & 45

QV. An verò nobis ſatis non erat ſemel naturali ratione naſci?

Rr. *Omnino, quod ad hanc vitam attinet, cuius etiam reſpectu, ſtultum fuerit arbitrari nos ſæpius naſci. Sed quum Adamus ſeſe & ſibi & poſteris reddiderit vtrique morti obnoxium, aut perire nos, aut alia prorſus conditione in vitam æternam renaſci oportuit. Idcirco igitur alter ille Adam nobis datus eſt, ex quo ſpiritualiter* Ioh. 3. 4. & 5 Rom. 5. 18

& per gratiam ſanctitas & vita æterna in nos per gratiam defluerent, ſicut naturaliter & corporaliter ex priore peccatum & mors ſunt in nos propagata.

QV. Explica igitur plenius hanc noſtri in Chriſto ſanctificationem?

RE. *Sanctificatum id dicitur quod à communi pollutione ſegregatum eſt, vt puriſſimum ſit, ac Deo omnis immunditiei ſummè aduerſario, penitus conſecratum. Sic igitur ſanctificata eſt in Chriſto natura noſtra ab ipſo conceptionis momento, ídque vt nos ſanctificaret. Id autem fit dupliciter: Primùm enim, ſicut dixi nos cenſeri imputata Chriſti iuſtitia plenè coram Deo iuſtos non in nobis, ſed in ipſo cui per fidem vniti ſumus: ita etiam dico noſtras perſonas imputata ipſius perfecta ſanctitate & integritate, plenè ſanctas & integras ac proinde Patri acceptas, non in nobis, ſed in Chriſto cenſeri. Deinde iſtius puriſſimæ, quæ in Chriſti carne eſt, ſanctitatis vim & energiam, operante hoc in nobis Spiritu ſancto, in nos vſque promanare deco, vt & ipſi in nobis ſanctificemur, id eſt,* Rom. 8. 3

ab

abinquinamentis huius mundi ſegregati & ſpiritu & corpore Deo ſeruiamus: quod beneficium in ſacris literis Sanctificatio, Regeneratio, Illuminatio, Nouus homo, Noua creatura, Spiritus denique paſſim vocatur.

QV. Ais igitur hanc poſteriorem ſanctificationem non eſſe quiddam extra nos, & ſola imputatione noſtrũ ſed nouum eſſe habitum verè nobis inſitum & inhærentem, ex Patris cæleſtis mera gratia, & ſãcti Spiritus virtute, nobis in Chriſto collatum.

Rſ. *Aio.*

QV. Quorſum igitur nobis altera illa imputata ſanctificatione naturæ noſtræ opus eſt?

Rſ. *Quoniam hæc inhærens nobis ſanctificatio tantùm eſt inchoata in nobis, ſicut ex perpetuo Carnis & Spiritus in ipſis etiam præſtantiſſimis hominibus diſſidio liquet. Idcirco vt noſtræ perſonæ Deo ſint acceptæ, ac proinde ipſi placeat quod à nobis proficiſcitur (eſt enim ſanctorũ vita veluti perpetua quædã ſuiipſius oblatio ad* Rom. 7. 23 Gal. 5. 17

Rom.12.1 *quam nos etiam Apostolus hortatur) longè alia sanctificatio interueniat necesse est, illa videlicet quæ plenissima & integerrima est in Christo. in quo nos intuẽs clementissimus Pater, & tamen omnis impuritatis & labis perpetuus hostis acquiescat, summè videlicet iustus, & summè misericors.*

QV. At cur non plenè statim nos sanctificat?

R. *Imò potius admirare ipsius bonitatem in eo quòd vel guttulam regenerantis gratiæ cuiquã instillet. Cur tamẽ plenã nostri sanctificationem in alterũ sæculum differat, causæ multæ sunt, quarũ duæ sunt præcipuæ. Vna, quòd simus ὀλιγόπιστοι, ac proinde quantum in nobis est, energiã sanctí Spiritus impediamus. Altera, vt nobis per meram gratiam seruatis, non autẽ ex*

1. Cor. 1. 31 *operibus, qui gloriatur, in vno Domino glorietur. Nã si perfecta esset ista in nobis sanctificatio, perfecta etiã esset iustitia nostra, siue nobis inhærẽs, ac proinde Christ⁹ nõ esset nobis in solidũ & propriè seruator, sed dũtaxat organũ & instrumentũ nobis sic disponẽdis, vt nos ipsos postea nostra iusti-*

tia

tia iuſtificaremus qui fœdꝰ eſt ac planè dete ſtabilis Sophiſtarũ Semipelagianorũ error.

Q. Ais igitur inter ſanctificationem & iuſtitiam noſtram eſſe hanc proportionem, vt quanta vna eſt, tanta ſit & altera.

R. *Omnino. Nec enim otioſa eſſe poteſt vera ſanctificatio, & qualis eſt arbor fructifera, talis eſt quoque verus ipſius fructus. Itaque quoniã ex parte illuſtratus eſt veri Dei notitia noſter intellectus, ex parte quoque cognoſcimus: quoniã ex parte afſentimur Dei promiſſioni, idque nobis applicamus, idcirco ex parte credimus: quoniã ex parte immutata eſt noſtra volũtas, idcirco ex parte bene volumus & agimus.* Luc. 6. 44. 1. Cor. 13. 14.

Q. Quid ſibi vult iſtud Ex parte?

R. *Id eſt, Non perfectè, ſed dũtaxat quatenus ſumus regenerati, vt in vno eodémque ſubiecto, diuerſis tamen reſpectibus, ſint puritas & ſordes, lux & tenebræ, fides & incredulitas, bona & à bono deficiens voluntas, ſpiritus denique & caro.*

Q. Quid igitur vocas Spiritum?

R. *Omnes hominis facultates tum*

superiores tum inferiores, quatenus sunt sanctificatæ seu regeneratæ.

QV. Quid verò Carnem appellas?

Rꝛ. *In homine quidem non regenerato, totum ipsum hominẽ, quantus quantus est, intus & foris, à capite ad calcem: In homine verò regenerato, omnes itidem eius facultates, quatenus non sunt sanctificatæ seu regeneratæ.*

QV. Atqui dicit Iohannes filios
1.Io.3.6 Dei non peccare.

Rꝛ. *Idem dicit eos mentiri qui dicũt*
1.Io.1.8 *se non habere peccatum. Dicuntur ergo nõ peccare, quia peccatum sic in eis habitat, vt tamen nõ regnet. Pugnat enim Spiritus in eis aduersus Carnẽ, & tandẽ vincet. Ideoq́ soli regenerati dicere verè possũt, Facio*
Rom.7.15 *malũ quod nolo, nõ facio bonũ quod volo.*

QV. Atqui ratio ipsa naturalis in quouis homine etiã non regenerato, repugnat sæpe appetitioni: & in eo positas esse virtutes nosti, vt τὸ τῆς ψυχῆς ἄλογον τῷ λογικῷ subiiciatur.

Rꝛ. *Quidnam sentiendum sit de philosophicis virtutibus antea respondi. Concedo*

cedo aliquam esse συντήρησιν, aliquã συνείδησιν in homine relictam ad coarguẽdam & aliquatenus etiam impediendam affectuum ἀταξίαν, vt quiuis sit ἀναπολόγητος: ideóque distributionẽ illam philosophicam veluti partiũ animæ, & quæ de mediocritate scribunt Peripatetici, nõ modò non reprehendo vt falsa, verùm etiam vt imaginis Dei reliquias laudo & admiror. Sed lõgè aliam partium hominis distributionem esse dico quam nos docet Spiritus sanctus, ψυχικὸν & πνευματικὸν, interiorẽ & exteriorem hominẽ, veterem & nouum hominem, carnem denique & spiritum inter se opponens: vt qui illis nominibus quibus vitium notatur, etiam illud ipsum philosophorũ ἠγεμονικὸν intelligat: quicquid denique à natura homines extra regenerationis gratiam habent, comprehendat. Rom. 1. 20 & 3 & 8. 12

Q. Non est igitur Ratio, Ratio?

R. *Est profectò, & quidẽ semper appetitione oculatior, semper tamen, donec regenerata sit, vitiosa: primùm enim tũ quoque quum bonum intelligit & dignoscit, non tamen intelligit & dignoscit vt opor-*

tuit ac debuit, propter originalem illã corruptionem quam Philoſophi ne ſuſpicari quidem vnquam potuerũt. Deinde in pleriſque etiam grauiſſimis rebus non modo non cernit verum, ſed etiam veritati prorſus & ex profeſſo repugnat.

QV. Quæſo vt hæc exemplis confirmes.

BZ. *Faciam. Quũ de Deo ſummè bono egregiè ac planè excellenter multa tradãt Philoſophi, quis tamen eorum vnquã naturali notitia vnam Dei in tribus hypoſtaſibus θεότητα cognouit? Et tamen hæc vnica eſt vera & ſaluifica ſummi boni notio.*

Ioh. 17 3 & 5 23

QV. Tale tamen quiddam Trifmegiſtus, & Platonici præſertim, dicuntur tradidiſſe.

BZ. *Fieri quidẽ poteſt vt neſcio quid obſcurè de hoc myſterio à Patriarchis traditum & ſacris libris perſcriptum cognouerint nonnulli: ſed apage iſtorum hominum ineptias qui hanc veritatẽ in Philoſophorum ſcriptis quærunt. Iam verò quum ad Dei naturam explicãdam ventũ eſt, poſtq; multa verè dixerunt, quàm ſubitò præſtã-*

tiſſimi

tißimi quique (vt rectè dicit Apoſtolus) euaneſcunt? Vnde enim πολυθεΐα, vnde diuinitatis in maiores & minores deos diſtributio, vnde Epicureorum furores, vnde Stoica neceßitas numẽ ipſum conſtringẽs, vnde Ariſtotelis deliria mundi æternitatẽ ſomniantis, & particularem prouidẽtiam tollentis, vt alias innumerabiles ineptias tot locis ab ipſo Ariſtotele refutatas prætereã? Cui verò niſi præclaro iſti ἡγεμονικῷ, omnium ſuperſtitionum initia debemus? Iam verò ſi ad hominem ipſum deſcendamus, quis Philoſophorũ ſeipſum cognouit, ignorata primi hominis origine & ipſius lapſu? imò quid abſurdius, quid inſanius, quid magis portentoſum fingi poßit ea ſententia quam nõnulli Ariſtoteli omniũ Philoſophorum acutißimo tribuere nõ deſinunt, quòd videlicet humani generis vnica duntaxat ſit anima? quid, quòd ne nũc quidem inter iſtos ſapientes conuenit de animi immortalitate? De affectibus quoque quantæ inter ipſos digladiationes? Quòd ſi ad mutua hominum inter ſe officia deueniamus, quàm multa non tantùm abſurdè, Rom. 1. 2

ſed etiam flagitiosè & turpiter conſtitue-
runt illi ipſi qui maximè laudantur omniũ
populorum legiſlatores? veri aduerſus affe-
ctuum ἀταξίων remedij, quis tandem iſto-
rum meminit? neque id mirum, quum hu-
ius lethalis morbi neq; cauſas neq; effectũ
vnquam cognouerint. Vides igitur Ratio-
nẽ ipſam quoque, quandiu ψυχὴ manet,
in ys quæ grauiſſima ſunt planè cæcutire.
Quàm multa ſunt verò in quibus non mo-
do cæcutit, ſed etiã prorſus inſanit? præterq;
enim quòd paucos è multis enumeratos er-
rores adeò pertinaciter quiſque defendit,
vt ſe rectiora doceri non ſuſtineat, Mundũ
è nihilo conditum, Verbum factũ eſſe car-
nem, Natum quempiam ex Virgine, Al-
terius iuſtitia nos cenſeri iuſtos, Corpo-
rum reſurrectionem, & alia plurima non
modo non admittit Ratio, verùm etiam ſa-
ſtidit & irridet: imò etiam ſi magis illã vr-
geas, tandẽ furioſa totã illam cæleſtem ſapi
entiam conculcat, niſi ex Dei gratia σωφρο-
μαστὴ euadat. Quid quòd ne tunc quidẽ
deſinit cognitæ etiã illi ſapientiæ reluctari
quatenus nõ eſt immutata? Vides igitur, o-

pinor,

pinor, id verum esse quod dicebam.

Q V. Atqui inter vos quoque Theologos quantumuis αὐτοδιδακτους, non per omnia conuenit.

R. *Hoc quidem non sit sacrarum literarum culpa, in quibus satis planè & perspicuè explanatur veræ religionis dogmata, sed illi ipsi Rationi tribuendum est, quæ tum cæca est, tum etiam refractaria. Neq; verò nos penitus (quod si verum esset, omnes planè in vna veritate per omnia consentiremus) sed ex parte duntaxat regenerati esse dixi. Superesse igitur & ignorātiæ & refractariæ illius naturæ reliquias minimè inficior, sed quæ paulatim quoque abolebuntur.*

Q V. Age igitur ex mera Patris cælestis in Filio suo gratia proficisci fateamur quicquid in nobis est vel synceræ notitiæ, vel recti iudicii, vel iustæ appetitionis: Sed iustitiam hanc inhærentem an non iustitiam esse, ac proinde Deo gratam fateberis?

R. *Iustitiam esse concedo. Arbor enim bona bonos fructus edit: sed compara-* Mat. 7.17

tè, id eſt, ſi cum ijs fructibus comparentur qui verè putres ſunt. Sin verò vel ipſa optimæ ſanctiſſimorum etiam hominum opera exegeris ad illam voluntatis diuinæ, (Legis videlicet normam) peccata eſſe dico, nõ quidem qualia ſunt illa quæ Legi ex diametro repugnant, cuiuſmodi ſunt, adulteria, furta, mendacia, & cætera id genus. ſed quoniã ab eo bonitatis gradu deficiãt, quem Lex ab homine merito flagitat: quãobrem etiam in vna Chriſti obedientia nobis per fidem imputata, vtpote quæ ſola ſit omnibus numeris perfecta & abſoluta, nobis acquieſcendum dixi.

1. Cor. 4. 4
rom. 4. 2
tit. 3. 5

QV. Imò quo iure Deus aliquid flagitarit ab hominibus quos ipſa natura, cuius ipſe author eſt, ſoluẽdo nõ eſſe ſatis nouit?

RE. *Quòd ſoluendo non ſumus, non eſt à natura, quæ Conditori, ad cuius imaginem erat condita, quod ille flagitabat, & ipſa debebat, perſoluere maximè volebat & poterat, quum ad hoc ipſum eſſet condita: ſed à ſpontanea illius naturæ corruptione ortum eſt, quæ facit vt ne agnoſcere quidem*

dem debitum, ac multo minus perſoluere quiſquam aut velit aut poſſit: imò nihil aliud potius quàm illa debita omnes augeant. An verò (ſi vel ſecundũ hominem loquamur) debitor eſſe deſinit qui ſua vnius culpa non eſt ſoluendo? Præterea quũ Rom. 5. 15
id quod à nobis optimo ſuo iure Cõditor flagitat, id ipſum, ac fortaſſis etiam aliquid amplius, liberaliſſimè nobis in Filio ſuo gratis dato nobis credentibus, ſic acceptum ferat, vt etiam nobis fidem pari liberalitate largiatur, qua donũ oblatum percipiamus, quis tam immenſam Patris bonitatem non potius adoret, quàm cum eo contendat?

Q. V. Sit igitur Deo ſummè bono gloria & laus ſempiterna. Hoc tamen fas ſit mihi percontari: Saltem hęc iuſtitia inhærens, quatenus iuſtitiæ rationem habet, Deo, qui iuſtitia delectatur, placeat oportet.

R. *Intelligo non tuam, vt opinor, ſed Satanæ verſutiam. Quoniam enim Chriſto non poteſt penitus adimere ſalutis noſtræ gloriam, idcirco decerpere ſaltem aliquam*

quam eius particulam conatur, quod sanè fieret, si hominibus persuaderet quod tradunt impuri Sophistæ, nimirum Christi iustitia duntaxat suppleri quod nostræ iustitiæ deest. Sic igitur rem accipe: Deus vsque adeò iustitiam amat vt quicquid vel tantillum iustitiæ & puritatis habet, aliquatenus probet: sed ex sua infinita bonitate, non ex vllo istiusmodi iustitiæ duntaxat adumbratæ merito. Sic pœnitentiam Nineuitarum & Achabi probauit, quanuis non vera esset pœnitentia, sed qualiscunque humiliatio sub potente Dei manu. Nam eousque bonus est, vt etiam indignissimis benefaciat, nedum ijs qui quoquo modo afficiuntur Maiestatis ipsius sensu. Ergo multò magis delectatur regeneratorum operibus, quanuis imperfectis: sed primùm dico placere hæc regeneratorum opera, nõ ob vllam ipsorum dignitatem verùm ex mera Patris gratia, condonantis quod iustitiæ deest, & quod à suo Spiritu proficiscitur, agnoscentis. Deinde nego his operibus quantumuis Deo ex mera gratia placentibus tribuendam vno modo tanquam

Psal. 5. 5
Ro. 2. 9, & 11

causa

cauſæ iuſtificationem noſtram, ac proinde vitam æternam. Stat enim illud, Iuſtus ex fide viuet: &, Donum Dei eſt vita æterna. Heb. 2. 4. & Rom. 1. 17. & 6. 23

Q V. Atqui ſi placent, videntur aliqua ſaltem ex parte digna eſſe quæ placeant.

R. *Falſiſſima eſt hæc conſecutio. Deus enim ne ex pacto quidem aliam iuſtitiam vt eo nomine dignam probare poteſt (niſi ſibi ipſi velit repugnare, quod dicere nefas eſt) quàm quæ Legi ad amuſſim reſpondeat. Itaque ſic potius colligere debuiſti, Placent Deo regeneratorum opera quanuis imperfecta: Ergo Deus eſt ſummè miſericors.*

Q V. Præterea fit paſſim mentio Mercedis & Compenſationis.

R. *Longius patet nomen mercedis quàm vitæ æternæ, & certum eſt temporarias benedictiones etiam impiis quanuis indigniſſimis à Deo ſummè liberali rependi. Deinde ſiue ad vitam æternam ſiue ad alia beneficia referas mercedis nomen, non tamen ſequitur vt debitam perſolui. Imò hoc maximè commendat Dei miſeri-* Rom. 4. 4

cordiam, quòd indebitum præmium quod ex mera gratia in Christo largitur, dignatur tamẽ mercedis nomine, vt nos quãuis
Luc. 17.10 reuera inutiles seruos (quis enim aliquid ipsi Deo adiecerit?) minimè tamen operam lusos sciamus. Denique etsi gratuitò promissa est, & gratuitò donatur hæc merces, tamẽ operãti donatur, ideoq; vocatur merces.

QV. Si operanti, ergo operibus.

RE. Imò si donatur, certè non soluitur vt debita. Deinde longè aliud est operanti, quàm operibus dare. Dico igitur bene operãtibus dari vitam æternam, quoniam ex effectis æstimabitur fides, ex fide verò iustitia, at nõ ipsorũ operibus persolui: quo-
2.Cor.5.10 modo explicare oportet, quod dicitur, Vnusquisque secundùm ea quæ in corpore gessit iudicandus, & similes alias sententias.

QV. Quamobrem?

RE. Quoniam bona opera non iustificant, sed credẽtem & iam antea in Christo
Mat. 7.17, & 18 iustificatũ sequũtur, sicut boni fructus non faciũt vt arbor sit bona, sed arbor ex bonis fructibus bona esse dignoscitur.

QV. Atqui paulo antè bona ope-

ra non ex iuſtificatione, ſed ex ſanctificatione eliciebas.

Rſ. *Fateor. Sed nemo imputata Chriſti iuſtitia iuſtificatur, quin eiuſdem quoq; Spiritu ſanctificetur.* Rom. 6. 13

Q V. Ais igitur bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem?

Rſ. *Si fides ad ſalutem neceſſaria eſt, & veram fidem opera neceſſariò conſequãtur (vt quæ otioſa eſſe non poßit) certè & illud efficitur, neceſſaria eſſe ad ſalutem bona opera, non tamen vt ſalutis cauſam, (iuſtificamur enim, ac proinde viuimus, ex ſola fide in Chriſto) ſed vt quiddam cum vera fide neceſſariò cohærens. Sicut dicit Paulus, Filios Dei eſſe qui Spiritu Dei aguntur: & Ioannes, Eum eſſe iuſtum qui iuſtitiam operatur: & Iacobus quoque explicans, non Qua ratione iuſtificemur, ſed, Vnde vera fides & iuſtificatio dignoſcatur, probat Abrahami exemplo non eſſe iuſtificatos qui fidei opera nulla demonſtrant. Sic enim Iacobus cum Paulo conciliandus eſt, vt planè appareat contentioſos eſſe qui neceßitatem bonorum operum tanquam* Rom. 8. 14. 1. Ioh. 3. 7. Iac. 2. 21. & 22

falsum dogma condemnant.

QV. Quid si quis igitur in ipso demum mortis articulo fide donetur? Hoc enim videtur pendenti illi latroni vsuuenisse. Quænam bona opera quispiam eiusmodi protulerit?

Luc. 23 40 RE. *Imò fuit latronis illius fides breuissimo tempore inenarrabiliter ἐνεργητικὴ, siquidem alterius latronis blasphemias & scelera redarguit, sua crimina detestatur, certa & planè mirifica fide Christum in ipsa crucis ignominia, tacentibus omnibus discipulis, æternum Regem agnoscit, & Seruatorem inuocat, Iudæorum denique crudelitatem & impias voces palàm redarguit. Sunt autem, peccati agnitio, inuocatio Dei Patris in Christo, & gratiarum actio, præstantissima primæ Tabulæ opera, quæ in nemine prorsus à Fide separari possunt. Vt verò quispiam morte præueniente nulla possit opera secundæ Tabulæ demonstrare: fides tamẽ in eo nõ est idcirco censenda otiosa, quoniam etsi non ἐνεργείᾳ, tamen δυνάμει charitatem habet coniunctam.*

QV. Vnus præterea mihi scrupu-

lus

lus supereſt, quînam malis operibus quiſquam damnetur, ſi bonis operibus nemo iuſtificatur.

R. *Atqui ratio manifeſta eſt, quoniã videlicet vel leuiſſimum peccatum dignũ eſt, etſi non ſummis in æterna morte pœnis, at ipſa tamen æterna morte, quæ eſt in genere ſtipendium peccati. at vitam æternam dignè mereri nulla iuſtitia poteſt, niſi qualem Lex requirit, perfecta nimirum & integra ſecundum integræ humanæ naturæ gradum. Da igitur mihi qui Legem impleat, ſicut nemo non trãſgreſſor Legis inuenitur, & illud argumẽtum tibi concedã.* Rom. 6.23 Rom. 3.22

Q. Ais igitur impares fore damnatorum pœnas?

R. *Quanuis hac de re admodum ſobriè quærendum eſt, tamen id non temerè dixi. Præterquam enim quòd ipſa iuſtitiæ ratio poſcit vt quum peccata omnia inter ſe paria non ſint, niſi quatenus in genere conueniunt, qui grauius peccauit, grauius plectatur: (Stoicorum enim eſt, non Chriſtianorum paradoxon, quo paria eſſe peccata ſtatuuntur) id etiam expreſsè teſtatur*

Mat.10.15 *Christus tolerabiliorem fore dicens Sodomorum conditionem in die iudicij, quàm eorum à quibus ipse reijciebatur.*

QV. Ergo impar etiam erit eorũ qui seruabuntur gloria.

RE. *Omnino id poscit eadem contrariorum ratio, & quod dicit Apostolus fore vt qui parcè seuerint, parcè metant: non videtur ad solas temporarias benedictiones referendum.*

2.Cor.9.6

QV. Atqui ex ipsa semente prodit messis, ergo ex ipsis bonis operibus iustitia & vita.

RE. *Imò nunquam sunt similitudines longius trahendæ quàm ferat rerum de quibus agitur natura, & eius consilium qui similitudines adhibet: alioqui infinita absurdissima & falsissima consequentur, quod dum non animaduertunt imperiti interpretes, inepta ac falsa etiã multa proferant necesse est. Cæterùm eo loco Apostolus analogiam operum & gloriæ, non autem ipsius gloriæ causam declarat: qui tam constanter vbique Iustitiam defendit merum esse Dei donum absque operibus Le-*

gis,

gis, neque ſecundum debitum perſolui, ſed vt gratiam credentibus imputari.

Q. Opera legis Ceremonialis intelligit.

R. *Ridiculum reſponſum. Nec enim valere poteſt illa debiti & gratiæ oppoſitio, niſi omnia Legis opera ſine vlla exceptione excludantur, vt alia Pauli argumẽta aduerſus ipſam Decalogi legem ex profeſſo contorta præteream: cõtorta, inquam, non vt Legẽ vituperet (quæ eſt Manichæorum inſania) ſed vt iuſtificandi vim ipſi adimat. Deinde, obſecro, ſi quæ operibus accepta ferenda eſt iuſtitia, cur ceremonias ritè vſurpatas excluſeris? Nam certè quarto ipſius Decalogi præcepto comprehendũtur, & modo ritè vſurparentur, præſtantiſſima opera fuerunt.* Rom. 4. 4 Rom. 7. 7

Q. Sed aduentu Chriſti abolitæ ſunt Ceremoniæ.

R. *Abolitæ ſunt fateor, quoniam in Chriſto ſunt cõpletæ. Pauli verò argumenta, vbi de cauſis iuſtificationis diſputat, res ipſa declarat non eò ſpectare vt ceremonias abolitas eſſe doceat, ſed vt in vnius*

Christi iustitia credentibus imputata, ſe
per poſitam fuiſſe ſalutem demonſtret, pr
latis inter cætera Abrahami & Dauid
teſtimoniis.

QV. Dicamus ergo à Paulo e
cludi duntaxat bona opera gratia
iuſtificationis præcedentia.

R. *Nõminus etiam ineptum eſt h*
reſponſum. Præterquam enim quòd iuſ
Rom. 4. 6. & 13 *ficatorum exempla & teſtimonia manif*
ſtè profert Apoſtolus, putà Abrahamę
Dauidis, vt alias eius rationes prætere
ab ipſa Legis natura deſumptas, quæ fut
dementia laborare de iis excludendis qu
nuſquam ſunt? Vlla enim ſtatuere bon
opera eorum qui non ſunt iuſtificati, nõ
nus ſtultum eſt quàm ſi quis dicat prius
arbore quapiam edi bonos fructus quàm
bona eſſe cœperit.

QV. Atqui ſi non ex operũ ipſo
rum dignitate, ſaltem tamen ex pact
debetur vitæ æternæ merces.

R. *Quódnam, quæſo, pactũ intelligis*

QV. Pactum Legis, Hoc fac, &
viues: &, Si vis ad vitam ingredi, ſerua
man-

mandata.

R. *Quomodo hoc pactum intelligatur, ex comminatione promissioni contraria petendum est. Sic autem habet, teste ipso Apostolo, Execrabilis quisquis non mã* Gal. 3. 10 *serit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, vt seruet ea. At Lex perfectam dilectionem requirit. Nemo verò præter vnũ Christum plenè Legem impleuit. Itaque vni quidem Christo debetur vita ex pacto, nobis autem, quibus ipsemet ex mera gratia datus est, ex eodem mera gratia donatur.*

Q. Cur igitur bona opera vocas, si vitam æternam non promerentur?

R. *Impropriè certè verbo* MERERI *vsi sunt Latini Theologi, etiã veteres, pro* ADIPISCI: *&* MERITI *nomine pro Bono opere, quod in sacris literis nusquam inuenias. Cæterũ etsi eousque bona non sunt opera regeneratorum, vt vitam æternam mereantur, tamen bona sunt, quatenus à bono Dei spiritu & à corde per fidem purificato proficiscũtur: & rursum bo-*

na, quoniam ex eis glorificatur Dominu
iuuatur proximus, & nos quoque excelle
tem hunc fructum ex iis percipimus, quo
nobis sint nostræ fidei, ac proinde electioni
nostræ testimonia.

QV. Hactenus igitur de vtraque sanctificationis parte dictũ sit. Superest illud quod etiam dicit Apostolus Christum videlicet factum esse nobis redemptionem.

R. *Redẽptionem illic vocat Apostolus non ipsam redimẽdi actionem, sed effectu id est finem ad quem nos illa iustificatio & sanctificatio deducit, hunc videlicet vt in Christo a peccato & morte redẽpti, in eo quoq; fiamus æternæ vitæ participes, cuius etiã in hac vita pignus & arrhabonẽ habemus, Spiritũ sanctũ à quo sumus obsignati.*

QV. Atqui Dauid collocat hanc redemptionem & beatificationem in peccatorum remissione. Cur igitur adiicis etiã sanctificationis ipsi Christo inhærentis, & impletionis Legis imputationem?

R. *Quid si tibi obijciam illa, Beati*

qui

qui ſunt mundo corde, Beati qui ſunt inculpati in via, & cætera eiuſmodi: an hinc collegeris excludi peccatorũ remiſſionem? Nequaquam, opinor. Sic interdum nomine Iuſtificationis intelligitur etiã Sanctificatio, quoniam hæc duo prorſus cohærent. Quidni igitur illud quoque reſponderim: vnius peccatorum remiſſionis interdum mentionem fieri, non vt excludantur aliæ beatificationis partes, ſed quòd tacitè cum illa comprehendantur? Quòd ſi etiam magis vrgeas, commodè quoque reſpõderim, remiſſione peccatorum cætera quoque ſignificari. Quis enim negauerit originis quoque peccatum expiatione indigere? ergo in peccatorum remiſſione comprehenditur. Quis item dicat cum duntaxat habendum peccatorem qui prohibitum aliquid faciat, ac non etiam eũ qui quod præceptum eſt non impleat? Ergo peccatum eſt quoque non impleuiſſe Legem, quod & ipſum remittatur neceſſe eſt. Superſunt peccata, id eſt opera contra Legem facta, de quibus cõtrouerſia nulla eſt quin expiãda ſint. Omnia autẽ hæc imputata Chriſti pro

omnibus nobis ſatisfactione remittuntur. Iam ad Remiſſionis nomen veniamus. Remittere debitum propriè dicitur qui debito, rem gratis, & quidē prorſus, abſoluit, adeò vt nullam ſibi aducrſus eum actionem relinquat. Atqui filij iræ ſumus non tantùm quòd corrupti ſimus, quòd Legem non impleamus, quòd vetita faciamus, verùm etiam quia puros nos apparere coram Deo oportuit, quales ab eo conditi ſumus: & nō eſſe Legis tranſgreſſores, verum etiam perfectos Legis factores. Ergo ad eam remiſſionem quæ alteram tantùm partem tollit, de qua antea diximus, altera quoque accedat neceſſe eſt, vt nobis (alioqui perituris) plena & perfecta ſit omnium peccatorum remiſſio. Vtranque verò in vno Chriſto per fidem apprehenſo inuenimus, qui non modò pro noſtris illis omnibus peccatis paſſus eſt, ſed etiam naturam noſtram in ſeſe plenè ſanctificauit pro nobis, & in eadem omnem iuſtitiam pro nobis impleuit, vt non tantùm à morte per eum liberemur, ſed etiam æternæ vitæ præmium in eodem conſequamur.

QV. Con-

QV. Concludis igitur in vno Chri ſto, cui per fidem adhæreſcimus, inue niri omnia nobis ad ſalutem neceſſa-ria, vt in iis qui in Chriſto ſunt, nulla prorſus ſit condemnatio.

R. *Concludo, & hanc vnam eſſe ſa-lutis ſcientiam.*

QV. Ais etiam hanc fidem eſſe do-num quod ex mera Dei gratia in nos confertur, ac proinde ipſius initium eſ ſe à Deo, non à nobis. *Act. 16. 14. epheſ. 2. 8. phil. 1. 29.*

R. *Aio.*

QV. Nũc, obſecro, quæramus qui-bus detur. Omnibus enim nõ dari res ipſa teſtatur, quum tam pauci ſemper fuerint credentes.

R. *At non conſequitur tamen omni-bus non offerri. Itaque prius videtur quæ-rendum an omnibus offeratur: quæ per con tatio nos ad ipſos fontes, nempe ad prouidentiam & prædeſtinationem, deducet.*

QV. Ita eſto: ac proinde quæſo ex-pone quid prouidentiam appelles.

R. *Sic appello non illam modò vim inenarrabilem, qua fit vt Deus omnia ab*

æterno proſpexerit, omnibúſque futuris ſapientiſſimè prouiderit: ſed in primis decretum illud æternum Dei ſapientiſſimi ſimul & iuſtiſſimi, ex quo quicquid fuit, fuit: quicquid eſt, eſt: & quicquid futurum eſt, erit, prout ipſi ab æterno decernere libuit.

QV. Hanc igitur prouidentiam ais eſſe rerum omnium effectricẽ ac moderatricem?

R. *Aio, & ita quidem vt excellentius quoddam quàm Cauſæ nomẽ mereatur. Hæc enim eſt quæ cauſas omnes ordinat, & ſingulariſſima etiam illarum effecta regit, vt ad decretum finem ferantur.*

QV. Atqui & Angelorum pars mala eſt, & omnes homines natura mali ſunt, & quicquid ab his vel illis proficiſcitur, malum ſit oportet, (regeneratos homines excipio) vtpote à malo principio profectum. Atqui Deus author malorum eſſe non poteſt. Non igitur omnium author eſt, ſi quidem tam multa mala excipienda ſunt.

R. *Et Angeli ſinguli (nec enim in ſpirituali*

vituali natura dari poteſt propagatio) & homines primi, Adam videlicet & Eua, boni conditi ſunt. Itaque neutri extra Dei decretum collocandi ſunt.

QV. Eſto, quod ad originem & primum illum ſtatū attinet. Sed quū corrupti nunc ſint ac deprauati, quomodo tandē eos ſubiicies æterno illi vſque adeò ἐνεργητικῷ decreto, quin Deū inuoluas ipſorum improbitate?

RE. *AEquum fuerit ſcilicet, vel ipſis ſedentibus iudicibus ſiue dæmonijs ſiue hominibus corruptiſſimis, idcirco eximi iſtos Cōditoris Dei imperio, quoniam in ipſum fuerint contumaces. Et tamen id conſequi ex tuo illo dicto neceſſe fuerit. Res autem ita ſe habet: Nunquamne, quæſo, horologia contemplatus es, in quibus rota quædā maxima ad dextram vergens, cæteras ſecum rapiat, vnas quidem itidem ad dextram, alteras vero ad ſiniſtram, contrario prorſus motu?*

QV. Sanè, & quidem ſæpe ſum demiratus induſtria humana poſſe oculis repræſentari, quod in cælorum

orbibus vix aſſequi mens humana poteſt.

R. *Scito hanc veram eſſe diuinæ illius prouidentiæ imaginem, ſi hoc excepe-*
ris, cui nihil ſimile ne in cæleſtibus quidem
orbibus, nedum in illis mechanicis inſtru-
mẽtis inueniri poßit: quoniam nihil eſt æ-
quale, imò ne propriè quidem ſimile Altiſ-
simo. nempe quòd Deus ipſe omnipotens
(quem nunc maximæ cæterarum rotarum
motrici rotæ comparamus) ſic in mundo eſt
vt mundi pars non ſit, & motum αὐτόμα-
τον ſingulis ſeſe mouẽtibus rotis indiderit,
& ita quidem vt ipſe nullo modo moueatur, omnia verò ſecundum ſuam æternam
prouidentiam moueat. Hoc autem prouidentiæ Dei μυςήριον nobis diuinitus in il-
la Ezechielis viſione fuit repræſentatum,
in qua etiam illud nobis obſeruandum eſt,
Ezech. 1 *quadruplices illas imagines fuiſſe alis obte-*
ctas, & rotas rotis implicitas, altiſſimo
Deo ſupra omnia illa collocato, ne cum cauſis moueri ipſum motorem arbitremur, néue nimium curiosè ſingularum illarum motionum rationes a nobis percipi poſſe ſperemus.

remus. Hoc posito tria tibi respondeo. Primum, animalia & ratione prædita instrumenta (cuiusmodi sunt Angeli & homines) sic agi à Deo opifice, vt etiam ipsa interiore suo motu spontaneo agant, ac proinde ad vnam edendam actionem duo concurrant causæ, Deus videlicet seiunctus ab instrumento, & tamen instrumento tribuens sese mouendi principium: & ipsum sese mouens instrumentum. Alterum, sic à Deo moueri hæc instrumenta, vt ipsæ quidem bene semper agat, illa verò, si mala sint, contrario motu, id est, male semper agant: sin verò bona, tum demum quum & primus author, qui bene semper mouet, & sese mouens instrumentum consentiant, bonam & laudabilem actionem sequi. Tertium, sic Deum mouere mala instrumenta, (de his enim solis nunc quærimus) & vicissim à sese hæc eadem instrumenta sic moueri, vt propter duplex mouens principium, duplex sit etiam opus quod vnicum tamen videtur, idque respectu boni principij sit bonum: respectu mali, sit malũ.

QV. Velim hæc aliquibus exem-

plis illustrari.

℟. *Faciam, & quidem certis & illustribus, vbi hanc distinctionem adhibuero. Malis etiam quibusuis Deus insignis artifex bene vtens, aut illos inter se committit, aut eorum opera bonis benefacit: vtrumuis autem faciat, bonum id esse nemo sanè mentis negarit, nempe malos vlcisci, bonis autem benefacere. Nunc exempla proferamus. Dei prouidentia peruenisse Iosephum in AEgyptum, ibique in maximã potentiam euectum vt Ecclesiæ conseruator esset, ipsemet dicit, & res ipsa declarauit. Quibus autem instrumentis ad eam rem vsus est Dominus? Satana fratres aduersus innocentissimum fratrem impellente, ipsorum fratrũ pessima voluntate, mercatorum auaritia, sceleratissimæ mulieris libidine. Omnes igitur isti grauissimè peccarunt, quatenus fuerunt suarum actionũ principia: Deus verò pessimis etiam illis instrumẽtis nihil tale cogitantibus vtens, suis aduersus famem præsidio fuit, eosdem in terra fœcunda collocauit, Iosephum denique fidum seruum suum erudiuit, ac tandem*

Gen. 45. 7 & 50. 20

demin ſummum honoris gradum euexit. Malos conficere ſeipſos, an non eſt iuſtiſsimum Dei opus? Sic vltus eſt Madianitas, vſus tamen ſpiritu diſcordiæ, & mala homicidarum voluntate, alijs in alios mala conſcientia, iuſto tamen Dei iudicio, impetum facientibus. Bonum fuit caſtigari Dauidem, etiam poſt agnitum & condonatũ peccatum. Bonum etiam fuit Achitophelis perfidiam, & Abſolomi ſceleratum animum patefacere, & ſeuerè vindicare. Vtitur ad eas res peragendas Dominus, Satanæ rabie, Achitophelis perfidia, ſceleratiſsimi Abſolomi ambitione, nefaria libidine, impietate, quib⁹ peſsimis inſtrumẽtis multa eſt optimè exequutus. Declarauit enim quãtopere ſibi diſpliceãt adulteria & doli: Dauidẽ paternè caſtigauit, Achitophelem ipſiuſmet manibus punit, facit denique vt ſemetipſum Abſolomus vltrò perdat. Probari nos, ac proinde affligi ex bona Patris cæleſtis volũtate, vt ita glorificetur ipſe: virtus autẽ in infirmitate perficiatur, teſtatur Scriptura: & niſi ita ſtatuamus, quæ tandẽ erit piorũ in tãtis malis conſolatio?

Iud. 7. 22

2. Sam. 12. 22

1. Para. 1. 7
1. Sam. 15. 29
& 17. 1. &
16. 22

1. Pet. 3. 17
1. theſſ. 3. 3
gal. 6. 14
2. cor. 12. 9.

Atqui ad Iobum hoc modo probandum adhibetur Satanæ peruersitas, & prædonũ auaritia ſummaq; crudelitas. Peccauit igitur Satan ſeruum Dei tot malis afficiens, & aliena diripientes peſsimè egerunt: optimè autem egit Dominus ſeruũ ſuum probans, & Satanæ conatus omnes aduerſus Eccleſiam irritos eſſe demonſtrans. Denique præſtantiſsimum omnium operum Dei eſſe non negabis humani generis redẽptionem. Tradidit enim eum Pater propter noſtra peccata, definito ſuo conſilio, & præeunte æterno decreto, vt dicunt Petrus & Eccleſia Hieroſolymitana, & Pater ille eſt qui Filio ſuo propter nos non pepercit. Quænam autem inſtrumenta tantæ peragendæ rei adhibuit? peſsima certè: quia nemo bonus innocentem perſequi, nedũ prodere, damnare, crucifigere potuit. nempe Satanæ malitia in cor Iudæ ingreſſa, ipſius Iudæ auaritia & perfidia execranda, Iudæorum inuidia & deſperatiſsima improbitate, Pilati denique mollitie & præpoſtero motu. Nullus eſt igitur iſtorum qui non grauiſsimè peccarit, eoq; nomine poſt-

Totus Iobi liber.

Act. 2.23. & 4.28 eph. 5.25 rom. 8.32

Luc 22 3 ioh. 12.6 mat. 27.18

Ioh 19 8

es

ea sunt omnes seueriſsimis pœnis à Deo affecti. Sed nos interea hoc ipſo opere à peccato & morte seruauit.

Q. V. Hinc verò nihil aliud colligi posse videtur, quàm malorum consilia in contrarios fines à Deo conuerti.

R. *Imò hinc quoque conficitur, malos etiam à Deo bene & efficaciter moueri, vt suum opus per eos exequatur. Sed memineris eius quod dixi, sic videlicet bene moueri malos à Deo, ad bonũ ipsius opus peragendum, non vt est malleus aut secaris in artificis manu, quæ organa sunt merè παθητικὰ, sed ita vt ipsi sese malè quoque moueant ad malè volendum & agendum, quoniam & ipsi sunt ἐνεργητικὰ suorum malorum operũ causæ. Nunc autem illud quoque adjiciendum est, Deum agere quidem in bonis & per bonos: per malos verò agere, at non in malis.*

Q. V. Quódnam est igitur in his voculis discrimen?

R. *Magnum profectó. Nam & his & illis vt instrumẽtis vtitur Deus quoties*

libet, ideóque & per hos & per illos agere
Rom. 8.14 suum opus rectè dicitur. At in ijs demum
1. cor. 12.11 agit Deus, quos Spiritu suo afflat & regit,
eph. 1.11 vel in bonitate ipsos confirmans, Angelos videlicet & regeneratos homines: vel
noua bonitate ipsos donans, vt quum sua
Ioh. 15.7 initiò sanctificat. In reliquis verò non agit
rom. 1.26, & 28 ipse aliquid intra ipsos efficiens sed partim
2. tim. 2.26 suis cupiditatibus, partim Satanæ mouendos & gubernandos tradens: ita tamen
vt ipsorum improbitas id demum velit &
possit quod ipse iustè ordinauit.

QV. Quid ergo iudicas de Permissionis nomine?

R. *Si Permissionis vocabulo intelligatur illud de quo modò dixi discrimen, quoniam videlicet in malis non agit Deus, sed eos Satanæ & suis cupiditatibus permittit, id minimè repudio: Sin verò Permissio opponatur Voluntati, hoc ego primùm vt falsum, deinde etiã vt prorsus absurdum reijcio. Falsum esse ex eo constat, quòd si Deus quippiam inuitus permittit, Deus cogitè, id est omnipotens, non est. Sin verò quasi non curãs permittere quippiam dicatur,*

quantum

quantum abſumus ab Epicureiſmo? Superest ergo vt volens permittat quod permittit. Voluntas igitur Permiſſioni non opponitur. Abſurdum autem illud eſt ſanè, ſi falſum eſt: ſed hanc abſurditatem ſatis attento cuiuis ex eo patere poſſe dico, quod huius diſtinctionis authores qua Permiſſio Voluntati opponitur, hac ratione nō modò non aſſequuntur quod volunt (nempe vt Deus author mali nō cenſeatur, quod nos quidem vltrò confitemur) verùm etiā contrarium prorſus efficiunt. Quis enim magis eſt in culpa quàm qui malū imminens longiſſimè proſpiciat, idq; ſolo nutu impedire poſſit, tamē illud non modò non impediat, verùm etiam permittat, id eſt eius mali patrāi facultatem cōcedat? Nam nehi quidem qui ſic ſentiunt, inficiantur Satanæ, nedum malis hominibus, non licere mali quicquam niſi ex præſcripto agere, quemadmodum ſi quis ſæuum leonem caueæ incluſum non modo non prohibeat quenquam lædere, quum facillimè poſſit, verùm etiā vinculis liberet, & in hunc vel illum facere impetum ſinat. Dices for-

taßis ita mereri hominum peccata. Concedo. Illud manet tamen, interuenire Dei voluntatem in permißione, veluti quum Magiſtratus nocẽtem in carnificis manus præſcripto ſupplicij modo tradit, ac proinde abſurdam eſſe voluntatis & permißionis repugnantiam.

QV. An igitur mali quoque faciunt Dei voluntatem?

R. *Si Voluntatem accipias generali ſignificatione, pro eo quod Deus volens decreuit vt fieret, & Faciendi verbum nõ ad conſilium malorum, ſed ad ipſum rei exitũ referas, ſanè per malos quoque exequitur Dominus voluntatem ſuam, id eſt quod ab*
Rom. 9.19 *æterno decreuit: iuxta illud, Voluntati Dei quis reſiſtet? Sin verò Voluntatis nomine intelligas id quod Deo per ſe gratum eſt, & Faciendi verbo includas rectum obediendi affectum, tum ſanè reſpõdero, malos non*
Pſal. 5. 5 mar. 3. 35 *modò non facere Dei voluntatem, verùm etiam totos in contrariam partem ferri.*

QV. Non habeo quidẽ ego quod regeram. Redeo tamen ad illud quod reſponderas, nimirum bona omnia

fuiſſe

fuisse initiò à Deo condita. Vnde igitur vitium? Nam si citra Dei decretũ ingressum est, labefactatur quod dixisti, nihil prorsus Dei prouidentiæ, & quidem ἐνεργητικῆ, eximi. Sin verò Dei decretum præcessit, quînam ipse non est (quod absque blasphemia dictum sit) omnis mali author?

R. *Vitij causa est ipsa bonorum Angelorum & primorum hominum voluntatis spontanea ad malum inclinatio. Creauit enim eos Dominus mutabiliter bonos, quoniam per se immutabiliter bonum esse, vnius Dei proprium est.*

Q V. Ergo & Angeli qui nunquã exciderunt aut excident, & omnes qui in æternam vitam colligentur, dii fuerint.

R. *Nego consequutionẽ. Quòd enim nunquam exciderunt nec excident beati Angeli, nec vllus erit æternæ beatitatis finis, non est ex immutabili natura, quæ vnius Dei propria est, sed ex eo quòd perpetuò immutabilis Dei virtute fulciantur: quæ si fortè illos desereret, (desereret*

autem si Deus vellet) tum sanè non modò immutari, verùm etiã prorsus euanescere & in nihilum redigi possent. Itaque vitij causam esse dixi voluntatis, bonæ quidem, sed mutabilis cõditæ, spontaneam inclinationem. Fuit enim mutabilis illa volũtas, Deo sic eam condente: quoniam alioqui tot deos quot immutabiles naturas condidisset. Mutata est autem Deo quidem illam deserente, (cui enim adstrictus est?) ipsa verò seipsam vltrò immutãte, vt vitij causa potius deficiens quàm efficiens statuenda videatur.

QV. Verùm si absque Dei decreto ista mutatio non euenit, videri sanè possit omne hoc malum ipsi tribuendum.

℟. *Nequaquam id consequitur, quũ decretum Dei minimè sustulerit primi hominis voluntatem, ac proinde deliberationem aut προαίρεσιν, sed duntaxat ordinarit. Nam spontaneo prorsus lapsu mutatus est, quod multo etiam magis de Angelorum lapsu intelligẽdum est, in quos ipsum vitium prorsus οἴκοθεν irrepsit, quæ causa etiam*

etiam fortasse Deum impulit vt hominũ, qui Diaboli interuentu lapsi sunt, miseretur, Diaboli verò & ipsius Angelorum nõ item.

Q. Verùm aliter fieri nõ potuit quàm Deus decreuerat vt fieret.

R. Concedo vtrunque. Neque enim fas est excludere à præcipui opificij mutatione decretum illud æternum, quo paulo antè demonstrauimus & omnia & singula, absque vlla prorsus exceptione, comprehendi. Mutabile verò istiusmodi decretum constituere impium est. Sit ergo vtrunque illud verissimum. Sed non inde efficitur vel Deum esse in culpa qui bene semper agit, sicuti diximus, tum quoque quum peccant instrumenta: vel hominem extra culpam esse, vt qui nonnisi volens peccarit. Nec enim ista necessitas, qua fieri necesse fuit quod Deus decreuerat, voluntatem aut contingentiã sustulit, sed potius ordinauit, quum inter humanarum actionum causas vel præcipua sit voluntas.

Q. Vis igitur voluntati non repugnare necessitatem eius eligendi

quod Deus ab æterno decreuerit. Atqui contingens dicitur quod vel euenire vel non euenire potest.

℟. *Apertius etiam dico, non necessitate sed coactione demum tolli volũtatem, aut contingentiam Oportuit Christum mori ætate, tempore & loco ab æterno constitutis, alioqui potuerunt mentiri Propheta. Atqui si naturalem κράσιν carnis Christi extra diuinum decretum & per se spectes, nõ dubium est quin vitam protrahere naturaliter etiam potuerit, ac proinde quin hoc respectu contingenter sit mortuus. Frãgi potuerunt ossa Christi, si naturam ossiũ per se respicias: sin Dei decretum, non magis frangi potuerunt quàm Deus sententiã mutare. Itaque contingentiã secundæ causæ nõ tollit, sed disponit, diuini decreti immutabilis necessitas. Christus quoque necessariò ex Patris decreto mortuus est, & tamen volens & absit vt inuiti vnquam moriamur, quibus tamen statutum est semel mori. Quid amplius? Deus ipse liberrimè quidem & maximè volens, tamẽ prorsus immutabiliter bonus est. Ergo voluntas &*

Joh. 13. 11
Mat. 26, 54
Joh. 19. 36
Act. 17. 3

& neceſsitas non repugnāt. Duorum enim repugnantium quum neceſſe fuerit ab Adamo alterum tantùm eligi, etiamſi neutrum fuit determinatum intra ipſius voluntatem, at certè alterum definitum erat in aterno Dei decreto, quod extra & ſupra ipſam voluntatem erat, neque illam coegit: quin potius ipſa vltrò & ſponte, quoniam vtrunque accipere non potuit, in eam demum partem inclinauit quam Dei decretū conſtituerat.

QV. Sed illa certè neceſſitas, quę vnà cum concupiſcentia ingreſſa eſt in cor hominis, adeo vt (ſicut antea declaraſti) non poſſit nō peccare, contingentiam tollere videtur.

R. *Etiamſi ita eſſe faterer, homines tamen eximi culpæ non poſſunt. Primùm quia hæc neceſsitas peccandi, qua nunc eſt oppreſſum humanum genus, non eſt à conditore, ſed à ſpōtanea (vti diximus) naturalis humanæ voluntatis inclinatione ad malum. Quis autem eum miretur cremari, qui ſeſe vltrò in ignem proiecerit? Deinde, quoniam etſi non contingenter, ſed pror-*

ſus neceſſariò nunc fertur homo ad malum
Rom.7.14 poſt peccati videlicet corruptionem (vt ait
ioh.8.36 Apoſtolus) peccato mancipatus, tantiſper
dum à Filio Dei liberetur: tamen quoda-
git, ſponte agit non coacte. Sicut enim non
Rom.8.7 poteſt non malè agere, ita etiam non alio
quàm malo delectatur, quãuis malum in-
terdum ſub boni ſpecie delitescens illum
decipiat. Itaque ne hæc quidẽ per ſponta-
neũ lapſum inuecta neceſsitas, ſpõtaneum
volũtatis motũ tollit, quo poſito efficitur ho
minẽ, quãuis neceſſariò, ſpõte tamẽ peccan-
tẽ, verè cauſa eſſe peccati. Sed tamẽ ne hac
quidẽ neceſitate tolli contingentiam dico.
Etſi enim in homine ſub peccati neceſsitate
cõſtituto necdũ regenerato, nulla nunc ſu-
pereſt deliberatio vel de verè bono vel de
malo eligendo, qualis in natura humana
fuit ante lapſum: tamẽ ſupereſt deliberatio
inter hoc vel illud malũ. Vbi enim de hoc
vel illud eligẽdo nõ agitur, vbi nulla eſt
deliberatio. Deliberãt autẽ homines etiam
maximè præcipites: ſed nec intelligere
quicquam, nec cogitare, ac proinde multo
minus deliberare de quoquam poſſunt niſi
vel

vel à bono aberrantes, vel planè aduerſus conſcientiam. Omnis igitur eorum deliberatio & προαίρεσις inter duo vel plura mala verſatur. Quòd autem hoc vel illud anteponunt, id totum quoque fit contingenter, quod ad ſpõtaneam ipſorum voluntatem attinet, quam contingẽtiam non magis nunc tollit in hominibus corruptis Dei decretum immutabile, quàm olim ſuſtulit in homine nondum corrupto.

QV. Sũma igitur eorũ quę de prouidẽtia dixiſti, hęc eſt: Nihil prorſus vel inuito vel neſciẽte Deo (ideſt, temere & fortuitò) euenire, ſed ita omnino vt ipſe Deus ab ęterno decreuit, potẽtiſſimè & efficaciſſimè cauſas omnes intermedias diſponẽs, vt ad deſtinatũ finẽ neceſſariò, quod ad ipſi° decretũ attinet, ferãtur: nec tamẽ vlliusmalii authorẽ eſſe vel approbatorẽ, quoniã iuſtiſſimè ſemper agat, quibuſcũque inſtrumẽtis opus ſuũ exequatur.

R. *Ita eſt.*

QV. Hoc illud eſt rurſus quod me torquet. Etſi enim video iuſtè

operari Deum per malos, tamen ſi æ-
terno decreto Dei omnia & ſingula
fiunt, ita vt nihil prorſus excludatur,
illud manet, Mala malorum opera, e-
tiam quatenus mala ſunt, Dei decre-
to non eximi, quod mihi videtur ſine
impietate dici non poſſe.

R. *Neceſſe eſt eum vehementer & frustra quidem torqueri qui de hoc labo-
rat, vt Dei ſapientiam rationis ſuæ finibus
comprehendat. Nam, obſecro, ſi velles O-
ceanum vaſculo includere ex quo bibit,
quid tandē proficeres niſi vt operam lude-
res, & inſanꝰ meritò haberēris? Atqui tole-
rabilior, quāuis ἀλόγως, eſt proportio in-
ter Oceanū & vel minimū vaſculū, quàm
inter Dei ſapientiam & humani corruptiſ-
ſimi ingenij ſtultitiam. Puto tamen poſſe
commodè ad hoc quoque quod obijcis re-
ſpōderi. Concedo igitur hoc quoque, Mala
malorū opera, etiam quatenus illorum re-
ſpectu mala ſunt, non fieri Deo inuito vel
ignorante, quoniam hoc poſito vel Athe-
iſmum, vel Epicureiſmum neceſſariò ſequi
oporteret: ſed addo, ſi decretum Dei ſpectes,*

ipſum

ipſum malũ habere rationẽ boni, etiãſi in ſeſe malũ eſt, vt illud Auguſtini δόξαν ſit veriſsimũ, Bonũ etiam eſſe vt mala ſint: quoniã non ſineret Deus vt mala ſint. non ſinit autem nolens vtique, ſed volens.

QV. Quid ergo? an dicemus Deũ velle iniquitatem? Pſal. 5. 5

RE. *Abſit. Eſt enim hæc omniũ blaſphemiarum maximè horribilis. Sed ſuſtine, quæſo, pauliſper, dum quid illud ſit exponam, quod tam verè & piè dixi, vt negari nõ poſſit quin Deus ſtatuatur non eſſe mũdi Iudex. Volũtatis nomen interdũ latiſsima ſignificatione accipitur pro eo quod Deus decernit: qua ſignificatione dicendum eſt omnino, vel Deum velle omnia, id eſt, nihil euenire quod Deus nolit vt eueniat, vel Deum non eſſe omnipotentem, ſi euenit vel tãtillum quippiam quod nolit euenire, vel Deum non curare res omnes, ſi ipſo non curante quicquam euenit. Interdum verò Voluntatis nomine id vnum ſignificatur quod ipſi gratum eſt, quia ſuapte natura bonum eſt, & hoc modo ſoli credentes dicuntur Deo obedire, &*

exequi ipſius voluntatem: quia hoc ſenſu
Deus dicitur id tantũ velle, id eſt probare
Tſ. 1. 5. 9 *& gratum habere, quod bonum eſt, iniquitatem autem nolle: quæ voluntas plenè nobis eſt in Lege patefacta, illa verò non item, niſi ex parte. Quis enim nouit quicquid vel hoc ipſo die futurum eſt? Nihil autem eueniet niſi quod ab æterno Deus voluit & decreuit vt eueniret.*

QV. An verò cenſeri poteſt Deus aliquid voluiſſe ſeu decreuiſſe quod non approbet, ac proinde quod malum ſit?

R. *Fatendum quidem eſt quicquid decreuit Deus, decerni merè ἐνδοξως, ſed hîc quoque elucet verè infinita ipſius ſapiẽtia, quòd apud eum tenebræ etiam ipſæ habeant rationem lucis, & ita quidem vt tenebræ tamen ſint & maneant, id eſt, bonum ſit etiam aliquod eſſe malum: quoniã rationem inuenit Deus qua fit vt quod ſuapte natura malum eſt & permanet, tamen apud ipſum habeat boni rationem, & (vt verè & ſcitè dixit Auguſtinus) nõ eueniat præter ipſius voluntatem, hoc eſt, abſque*

que eius decreto, id etiam quod est contra eius voluntatem, id est, quod suapte natura iniustum est, ac proinde Deo non placet. Sic exempli gratia, quòd Deus suos gratuita Christi Filij sui redemptione seruat, maxima est ipsius gloria, quæ alioqui non elucxisset. At redemptione à peccato & morte non indiguisset homo, nisi peccatum & mors extitissent. Bonum ergo fuit Dei ordinantis respectu, peccatum & mortem in mundum ingredi: & tamen pecctuam hoc vsque adeo suapte natura peccatum est & manet, vt non nisi terribilissima pœna potuerit expiari. Rursum, longè plus recipimus in Christo, quàm in Adamo amiserimus. Ergo optimum etiam & vtilissimum nobis fuit, Adamum labi, quod ad Deum, hoc admirabili modo nobis æternæ gloriæ regnum in Christo præparantem, attinet: & tamen hic lapsus vsque adeo suapte natura malus est, vt etiam credentes & iustificati, plurimas ex eo natas miserias & calamitates ad mortem vsque experiamur. Item, hæc quoque est magna Dei gloria, quòd se ostendat seueriſsimũ omnis peccati vindi-

Rom. 5. 2.

vindicem. At si non extitisset peccatum, nullus isti iudicio aditus esset patefactus. Bonum ergo fuit, Dei ordinantis respectu, vt peccatum existeret, ac postea propagaretur, quod in dæmonibus & omnibus extra Christum positis æterna pœna damnaretur. Item, Hæc quoq; est (inquit
1.Pet. 3.17 Petrus) Dei voluntas, id est decretum, vt bene agentes, malis afficiamur. At qui bene agit, lædi absque peccato non potest. Bonum est ergo Dei volentis, hoc est id ordinatis, respectu, existere persequutores Ecclesiæ, quos tamen iustè postea vt peccatores contra ipsius voluntatem, id est, contra id quod ipse probat facientes seueriſsimè vlciscitur. Ergo disertis ipsorum Apostolorum verbis non euenit præter Dei voluntatem ac decretũ, quod tamẽ est contra ipsius voluntatẽ, id est contra id quod ipse probat ac præcipit: nec propterea Deus sibi contrarius esse, aut iniquitatem velle dici potest, vt rectè contra Iulianum definit ex Dei verbo Augustinus.

QV. Ideo videtur rectè distingui Permissio à Voluntate.

R. *De hac distinctione paulo antè dixi quid statuendum mihi quidem videatur. Certè si permissio opponatur voluntati, id est decreto, non tantùm falsa, verùm etiam inepta & ridicula est hæc oppositio, siquidem in iis etiam actionibus quæ per se liberæ electionis non sunt, vt quum periclitantes mercatores iacturam faciunt, & in genere quoties minoris incommodi vitandi causa homines minus malum eligunt, agnoscunt etiam prophani homines* τὸ ἐκούσιον *dominari. Sin verò permissionem opponas voluntati, id est ei quod vult Deus, tanquam sibi per se & suapte natura gratum & acceptum: vt id quod per se bonum est opponatur ei quod* τῷ συμβεβηκὸς, *& quatenus ex immensa Dei sapientia tenebræ quoque luci subseruiunt, aliquam bonitationem habet (non suapte natura videlicet, sed eius finis respectu ad quem à Deo dirigitur) tum sanè hoc admittam, modo & illud adijciatur, non esse hanc vanam & otiosam, vt nonnulli somniant, sed maximè* ἐνεργουμένην *& tamen iustissimam permissionem: quod vt planius intel-*

ligas, ſic paucis rem habe. Minimè (opinor) dixeris, iudicem quempiam velut otioſum ſpectatorem eſſe, quando carnifici facinoroſum, cognita cauſa, tradit, hoc vel illo ſupplicij genere afficiendum. Nam certè carnifex non tam occîdit quàm eſt occidentis iudicis inſtrumentum: adeo vt ſiquid hic crudeliter fiat ex iudicis ſentẽtia, non tam id carnifici exequenti quàm iudici imperanti tribuatur.

QV. Concedo hæc omnia. Sed inter hæc & illa de quibus agimus, quàm diſſimilia multa ſunt?

R. *Fateor. Nam alioqui inter Simile & Idem nullum vel certè perexiguum eſſet diſcrimen. Velim tamen præcipua ſaltem abs te recenſeri vt ad ſingula reſpondeam.*

QV. In iudicum ſententia præit cognitio: in iis verò de quibus diſſeris ſæpe nihil eiuſmodi animaduertitur.

R. *Quàm multa iuſtè fiunt à Magiſtratibus huius ſeculi, quorũ cognitio ſubiectis non apparet? Et tu minus Deo tribues, præterita & futura omnia in ipſis etiã cordis*

dis intimis latentia penitus ſcrutanti?

QV. Carnifex non niſi ex ſententia percepta quicquam agit. Vbi verò tale quodpiam mandatum acceperunt mali, quum mutuò ſe concîdunt vel bonis nocent?

R. *In eo deciperis, quòd quicquid Deus decernit, putas eum ſonora quapiam voce ijs ſignificari quorum opera vti decreuit. Hoc autem in neutram partem ſemper verum eſſe ipſa experientia conuincit, id eſt, ſiue miſericordia vti, ſiue iudicio conſtituit, ne tum quidem quum inſtrumentis intelligentibus vtitur. Quis enim dubitet Pharaonem fuiſſe ad excipiendum Ioſephum & parandum Eccleſiæ hoſpitium à Deo deſtinatum? Ipſe tamen de ea re nullũ mandatum foris accepit, imò ne apud ſe quidem tale quicquam cogitauit. Hoc tamen à Deo decretum erat, & tacitus cordis motus in Pharaone ad id exequendum tetendit quod Dominus decreuerat. Deſtinatos fuiſſe Chaldæos ad vlciſcendos malos, & eruditos bonos Iſraelitas, millies prædixerũt Prophetæ: & quidẽ perin-*

Gen. 45. 5. Pſal. 105. 16 & 25

de acſi expreſſum ea de re mãdatum acce-
piſſet Nebucadnezar, adeo vt eum etiam
Ier.25.9 vocet ſeruũ ſuum Dominus. Nihil tamen
eiuſmodi nominatim præcepit Dominus
Chaldæis, ſed partim Satanæ & vatibus,
Ezech.21. vt ſcribit Ezechiel, partim ſuis cupiditati-
21 bus cor Regis traditũ ſponte inclinauit ad
id peragendũ quod Deus decreuerat. Quã-
to magis idẽ ſtatuendum eſt quoties Deus
rebus rationis expertibus aut etiã prorſus
inanimatis, tanquã carnificibus vtitur? Sic
enim vocauit muſcas, ranas, locuſtas, gra-
dinem, mortẽ, ad Pharaonẽ vlciſcendum:
Eſd.7.18 ſic etiam ſortes ipſas temerè non cadere di-
Pro.16.33 cit, ille hominũ ſapiẽtiſſimus. Nam arcano
etiã motu omnia ſeruiunt exequendis Dei
decretis. Sed hoc intereſt, quòd bona inſtru-
menta nihil agunt, niſi ex fide, id eſt, certi-
ores facti ſe ad id quod agunt vocari, &
animo ad obediẽdum compoſito: mala ve-
rò, quia cæco impetu à Satana & ſuis cupi-
ditatibus feruntur, nec quicq̃ minus ſpe-
ctãt, quàm vt Deo pareãt, cuius etiam ex-
preſſo verbo ſciunt aut ſcire ipſos oportuit
ſua conſilia repugnare, ideo non ſeruiũt Do-
mino,

mino, quanuis ipsorum vel inuitorum opera sic vtitur arcanè Deus vt nihil aliud agant quàm quod ipse admirabilis opifex decreuit.

QV. Hactenus ergo dictum sit de æterna Dei prouidentia, cui nihil prorsus eximi posse video: progrediamur ergo, si placet, ad prædestinationẽ, quã in primis velim mihi describi.

℟. *Prædestinatio in genere considerata nihil aliud est quàm hoc ipsum quòd Dei decretum vocauimus, sed habita finis & scopi ipsius decreti ratione. Nihil enim est quod tum ad medios fines, tum ad vltimum imprimis scopum aliquem non destinarit sapientissimus rerum omnium creator, qui nec temere sanè quicq̃ fecit, nec falli aut mutare consilium potest. Sed vsus obtinuit vt prædestinatio in generis humani gubernatione potissimùm spectetur. Sic ergo illam describimus: vt dicamus esse æternum & immutabile decretum, ordine antegrediens omnes salutis & damnationis causas, quo Deus constituit in alijs quidem in Christo ex mera gratia seruandis,*

in alijs verò in Adamo & semetipsis iustos suo iudicio damnandis glorificari. Illos autem gloriæ vasa, & electos, id est salutiper misericordiam ab æterno destinatos: istos reprobos & iræ vasa, id est iustæ damnationi itidem ab æterno destinatos (quos vtrosque sigillatim Deus ab æterno cognouit) ex vsu Scripturæ vocamus.

QV. Atqui durum est dicere aliquos esse prædestinatos ad mortem & ideo nosti plerosque Prędestinationis vocabulũ ad solos electos referre reprobos autẽ poti⁹ prędscitos dicere

RE. *Scio quid hoc rei sit. Veritus sum nonnulli ne Deum facerent exitij reproborum causam, ac crudelem quoque dicerem, si prædestinatos esse à Deo reprobos fateẽtur: sed neutrũ sanè timendũ erat, vt suo loco dicemus. Deinde, vanũ est hoc effugiũ. Nam si præscięntia (quam vocant) habet rationem causæ non minus quàm prædestinatio, hoc ipsum dicunt quod dictum nolunt: sin verò non habet, age, dicant etiam prædestinatorum salutis causam non esse Deũ.*

Rom. 8. 29 *Siquidem Apostolus enumerans salutis electorum*

electorum causas, πρόγνωσιν quam isti Præscientiam interpretantur, primo loco recenset. Sed & πρόγνωσιν statuit Lucas vt nostræ redemptionis basin. Rectè igitur Augustinus, quanquam interdum præscitos à prædestinatis discernens, vtrinque tamen prædestinationem agnoscit.

Act. 2. 23 August. de ciuit. lib. 13 cap. 1.

Verùm absit à nobis hæc λογομαχία. Tantùm ostẽdere volui prædestinationem rectè à me pro genere constitui, cuius duæ sint species: in ipso tamen fine, quod imprimis obseruandum est, concurrentes, non minus quàm in capite & origine. Caput enim vtriusque est decretum Dei. Vtraque verò via quæ ab hoc veluti capite diffinditur, rursus in extremo, nempe in Dei gloria, concurrit. His positis, vt ad illam tuam exceptionem respondeam, quòd videlicet durum videatur existimare aliquos prædestinatos esse ad mortem, dico mihi multo duriora hæc videri:

Deum non sibi proposuisse certum finem in cõdendis hominibus, quanuis (vt ipsi inscientissimi artifices rectè testantur) finis sit primus in agentis intentione.

Deum ſibi in incertum euentum propoſuiſſe finem in condẽdis hominibus, ita videlicet vt penes lutum, non autem penes figulum ſit facere, vt vel eueniat, vel non eueniat quod opifici propoſitum erat.

Deum voluntate opificij ſui cognita, mutare conſilium, vt quum decreuerit omnes ſeruare in Chriſto, tamen eos qui nolunt ſeſe ad hoc conſilium inclinare, mutata ſententia ſit perditurus.

Hæc enim omnia dico neceſſariò conſequi eorum dogma, qui volunt, pereuntes, contra Dei deſtinationem perire.

Et ne videamur extra ſepta vagari, id eſt ſolis argumentorum conſequutionibus agere, primùm dico conuelli ex Scripturis omnia dogmata quæ analogiæ fidei repugnant, cuiuſmodi hoc eſſe oportet, quo poſito tam impia conſequantur. Deinde dico, quoties prædeſtinationis electorum meminit Scriptura, toties confirmari reproborum prædeſtinationem, quum res ipſa poſtulet vt aliquibus ad vitã electis, reliqui deſtinati morti intelligantur. Præterea, ſi vaſa gloriæ dicũtur prædeſtinati ad gloriã,

poſſit

poscit omnino contradicentium oppositio, ut vasa iræ interpretemur prædestinatos ad mortem. Rom. 9. 22, & 23

QV. Sed hîc annotatur, quum de vasis glorię agitur, Apostolum vti verbo agente προητοίμασεν, quum de vasis iræ, participio patiente προητοιμασμένα.

℟. *Concedo, si de causis medijs agitur, quibus vasa iræ ad iram destinatam feruntur, ipsos vnos sibi causam esse exitij. Sed ista distinctio sanè est futilis. Lucas enim de electis agens vtitur patiẽte participio τεταγμένοι, an verò à seipsis, ac non potius ex mera Dei gratia? Deinde nihil hoc ad rem. Nec enim agimus de salute aut interitu, sed de salutis aut interitus decreto, quod ipsas exequutionis causas disponit, nedum vt ab ijs pendeat, quod est prorsus ἄνω ποταμῶν, vt vetus prouerbium habet.* Act. 13. 48

Denique an asperius est dicere, aliquos prædestinatos esse exitio, quàm προγεγραμμένους εἰς τὸ κρίμα, vt loquitur Iudas, aut τεθέντας εἰς ὀργὴν, vt loquitur Paulus? Iudæ 4. 1. Thess. 5. 9

Postremò, nõ dixi exitiũ istorũ esse finẽ Deo decernẽti propositũ, sed gloriam ipsius. Neq; etiã simpliciter dixi, istos esse exitio destinatos, sed iusto exitio destinatos dixi, hoc videlicet ostẽdens, etsi nemo dãnatur nisi quẽ Dominus dãnationi destinauit (alioquin illæ de quib⁹ diximus, blasphemiæ necessariò cõsequerentur) tamen neminem damnari nisi qui iustas dãnationis causas in seipso habere comperiatur. Quid habet igitur falsi, quid asperi nostrum illud dictum?

QV. Vidêris illo dicto refelli, Deus vult omnes homines saluos fieri, & similibus sententiis vniuersalibus. 1. Tim. 2. 4

RE. *Dicigitur inuito Deo aliquos damnari, aut fatêre dictũ illud aliter accipiẽdum, quod etiã ostendũt præcedẽtia: ita videlicet vt (quod ipsi quoque Scholastici viderunt) non singuli generum, sed genera singulorum intelligantur: & (vt planius loquar) non sit vniuersalis, sed indefinita enuntiatio, quam potius interpretari oportuit, Deus vult quosuis saluos fieri, quo eodem genere dicendi vtitur Matthæus quũ* Mat. 4. 23 *dicit Omnem (id est quemuis) morbum & langue-*

languorem à Domino fuisse ſanatum, vt & Latini interdũ loquũtur. Obſecro enim an auſit quiſpiã dicere Deum velle omnes etiam in incredulitate ad extremũ permanẽtes ſeruari? Minimè profectó. nã ſi hæc eſt voluntas Patris, vt qui credit in Filiũ, non pereat, cõſequitur hãc eſſe eiuſdẽ voluntatẽ, vt qui nõ credit in Filiũ, pereat. Illa igitur duo, Saluos facere, & Ad agnitionẽ veritatis peruenire, coniungenda ſunt, vt eos demũ intelligatur Deus velle ſaluos fieri quos vult ad agnitionẽ veritatis venire. At fides (quæ eſt vera hæc agnitio) neq; omniũ eſt, teſte Apoſtolo, neq; currentis aut volentis, ſed miſerantis Dei: ſed eorũ demũ qui (vt inquit Lucas) ordinati ſunt ad vitã æternã, & quibus (vt idẽ ſcribit) Deus aperit cor vt attendant Dei ſermoni. Reſtat igitur vt ad quoſuis protendi Dei prædeſtinationem intelligamus, id eſt, tum Iudæos tum Græcos, tum priuatos tum Magiſtratu fungentes, tum viros tum mulieres, tum ſenes tum iuuenes, tum ſeruos tũ ingenuos, tum plurimorum tum pauciorũ peccatorum reos. Nam hæ demum & ſimi-

Ioh. 6. 39

Eph. 2 8
2. theſſ 3 2
rom. 9. 16

Act. 13. 48
& 16. 14

les eiuſmodi circunſtantiæ, eæ ſunt quæ illa ſententia excluduntur.

QV. Vis ergo ſtatuere particularem electionem?

R. *At ego quæro an ſit ſani cuiuſquã hominis imaginari vniuerſalem electionem. Nam certè qui omnia accipit, nihil eligit: & qui eligit quippiam inter duo vel plura, neceſſariò dicitur quæ non eligit, repudiare.*

QV. At certè vniuerſalis eſt vocatio, & promiſſio.

R. *Indefinitam intellige, (& quidem certarum, de quibus diximus, circunſtãtiarum reſpectu) & rectius ſenſeris. Ita enim accipiẽda ſunt omnino quæ doctiſſimi nonnulli homines noſtra memoria de hac controuerſia ſcripſerunt. Nam alioqui vide quàm neceſſariis rationibus illa vniuerſalis vocatio refutetur. Si hoc intelligis de vocatione per Verbi prædicationem, falſum eſt omnes ſigillatim ſic vocari aut vnquam fuiſſe vocatos, aut vnquam etiã deinceps vocandos. Quàm multi enim interierunt, intereunt, & interibunt priuſ*

quàm

quàm de hoc Verbo quicquam prorsus audierint? Sin de altera illa vocatione hoc accipias quæ multo latius patet, nempe de naturæ contemplatione, ex qua intelligitur τὸ τῆς θεὸς γνωστὸν, ne hoc quidem adeo vniuersaliter verum est vt singulos sine exceptione comprehẽdat. Quàm multi enim prius interierunt & quotidie intereunt in ea ætate quæ ad illam contemplationem sit prorsus inepta? Ergo ne vocatio quidem, nedum electio vlla vniuersalis, sed duntaxat indefinita (& quidem certis illis duntaxat circunstantiis exclusis) statui potest ac debet. Rom. 1. 19

Q. V. Sed quid si dicamus vniuersaliter ad salutẽ vocari omnes sub cõditione, Si crediderint: ac proinde respectu quidem vocãtis Dei, vniuersaliter offerri salutem, quòd autem hæc vocatio non sit vniuersaliter efficax, nõ ex Deo esse, sed ex incredulorum contumacia qui bonum oblatum repudient?

R. *Hoc quidem aliquatenus verum est. Nec enim dubium est quin contumacia*

incredulorum illud ſit demum quod impedit oblatarum promiſſionum applicationē
Mat. 20. 16 *& efficaciam. Non dubium eſt etiam quin latius pateat Vocatio quàm Electio. Sed tamen illa neque ſatis verè neque ſatis appoſitè dicuntur. Primùm enim oſtendimus ne externam quidem vocationem, ſiue illam naturalem, ſiue eam quæ fit Euangelii verbo, ſpectes, ad ſingulos homines pertinere. Itaque nulla in iis de quibus diximus contumacia aduerſus oblatum Euangelium inuenitur, ſed originis corruptio duntaxat, quæ & ipſa tamen vel vna damnādis reprobis ſufficit. Præterea, etſi Credendi conditio appoſita eſt, tamen non pendet ab ea decretum, ſed ipſa potius à decreto pēdet, vtpote quod omnes inferiores cauſas antegradiatur. Alioqui vide quàm falſa & abſurda conſequātur. Efficietur enim Deum in deliberando primùm ſibi proponere opus quaſi iam peractum, & prout id præuidet à ſeipſo non ab opifice afficiendum, inde ſumere decreti occaſionem, id eſt, vel ſaluti vel morti deſtinandi: aut ſi Deo etiam ipſi incertum eſſe manis vel implenda*

plendæ vel non implendæ cõditionis euẽtum, concludendum erit decretum Dei pẽdere μετέωρον, & iudicium (vt ait eleganter Augustinus) non esse penes figulum, sed penes lutum. Hinc autem aliud itidem falsissimum dogma statuetur, nempe fidei initium non esse à Deo, sed à voluntate hominis, siquidem eius præuisio causam decreto electionis dederit. Neque est quod obiicias, non præuideri quidem fidem, vtpote quæ sit donum Dei aduentitium, sed præuideri corruptionem & incredulitatẽ, quæ sint naturales in homine post lapsum. Omnino enim poscit eadem contrariorum ratio, vt quo gradu constituitur fides in decreto electionis, eodem prorsus statuatur incredulitas in decreto reprobationis. Itaque si fidem præcisam facias decreti electionis causam (quod est merè Pelagianum, ideóque ab Augustino retractatum) necesse est vt idem de incredulitate sentias in contrario reprobationis decreto. Et rursum, si fidem substernas illis decreto (vt omnino faciendum est, siquidem electi sumus ad credendum, non idcirco e-

lecti quia credituri) in opposito membro incredulitatem oportet decreto reprobationis subordines.

QV. An verò sicut decretum electionis facis Fidei causam, ita etiam decretũ reprobationis facies infidelitatis causam?

R. *Minimè. Illud enim est fidei verè causa efficiens. Corruptio verò vel incredulitas cum ipsius fructibus sic decreto subordinantur, vt tamen voluntas hominis sit illarum prima causa efficiens, & tamen decreto subiiciantur, quoniam etsi non per decretum, tamen non præter decretum, nec absque decreto illa incidunt, quorum (vt dixi) causa deficiens, non autem efficiens in Deo statuitur. Sicut enim ij demum credunt, in quibus Deus fidem creat, ita peccatum inuasit in humanum genus Deo volũtatem deserente, & manet ac edit fructus in iis demum quos Deo placet suis ipsorum cupiditatibus tradere, vt sibiipsi sint causa exitii, ad quod etiam descripti & destinati sunt ab æterno. Præterea, vt ad alteram illam quæstionem redeam, quicquid de illa condi-*

cõditione decreto appositа dicitur, quasi videlicet ab ea pendeat ipsum decretum, parum appositè dicitur. Aliud enim est decretum de seruandis electis, quàm ipsa electorum glorificatio: aliud est decretum de damnandis reprobis quàm reproborũ damnatio, quum decretum ipsum necessariò sit distinguendum ab eius executione. Pendet igitur à fide Christum apprehendente executio decreti electionis, nempe electorũ salus: & à peccato & eius fructibus pendet executio decreti reprobationis, nempe reproborum damnatio, iuxta illud Prophetæ, Perditio tua ex te est Israel. Decreti autem eligẽdi certos homines per gratiam seruandos, & reprobandi certos homines per sua peccata damnandos, causam hanc vnam nouimus, quòd sic velit glorificari Dominus summè misericors & summè iustus. In hoc qui non acquieſcit, quum aliquid Dei voluntate superius & iustius quærat, meritò vt respõsator ab Apostolo redarguitur. Osee. 13. 9

Q. Ergo Deus odit aliquos non ob peccatum sed quia ita ipsi libet.

R. Calumnioſa est hæc obiectio. Cer-

tum enim est Deo neminẽ nisi ob peccatum esse exosum: quoniã alioqui opus suã odis- set. Verùm aliud est odisse, aliud iusto odio destinare. Nã odii causa manifesta est, nẽpe peccatum: cur verò Deus iusto odio quẽ libuit destinet, causa vt sit nobis occulta (excepto gloriæ ipsius fine) tamen iniusta esse nequit, quum voluntas Dei sit vnica iustitiæ regula. Neque enim si de hac suprema Dei voluntate agamus quæ rerum omnium causas ordinat, dicẽdum est oportere prius aliquid esse iustum quàm Deus illud velit. Sed contrà prius oportet Deum aliquid velle quàm sit iustum: quod qui non considerant, perturbatè de hoc argumento disserunt.

QV. Sed videtur tamen Deus προσωπολήπτης si paria paribus nõ tribuit. Sunt autem homines in eo pares quòd natura ex vno Adamo propagata sint corrupti.

R. *Imò non est necessariò* προσωπολήπτης *quisquis paria paribus non tribuit, sed is demum qui cur paribus paria nõ tribuat, circunstantiis aliquibus ipsi perso-*

inhæ-

inhærentibus iniquè mouetur: vt si iudex ex duobus pariter nocẽtibus alterũ, quia dilectus est aut affinis aut cõterraneus, absoluat. Hæc sunt enim πρόσωπα quæ accipienda non sunt incorruptè iudicaturo. Sed ponamus, quæso, duos esse tibi eiusdem summæ & iisdem prorsus nominibus debitores. Si debitum liberaliter vni condones, quod ab altero exigas summo iure, an vlla hîc fuerit προσωποληψία? Quid si quispiam ἀυτοκράτωρ ex duobus pariter nocentibus alteri peccatum ex mera gratia condonet, alterum meritis pœnis afficiat, an vlla hîc fuerit προσωποληψία? Imò siquid in eiusmodi specie peccetur, certè non in eo de quo sumitur supplicium, sed in eo potius cui parcitur, indulgentia peccari videbitur. Itaque in hoc quod nunc tractamus argumento, multo minus vlla statui potest προσωποληψία, quum nonnisi imputata Christi satisfactione electos absoluat, & siquid hîc vt minus iustè factum in disquisitionẽ vocari posset, videatur potius de misericordia in electos quàm de iusta in reprobos seueritate dubitãdum. Postremò quorsum

hæc omnia? Decretum enim antegreditur cauſarum ordine ipſam humani generis creationem, niſi vis Deum tam inſipientem fuiſſe opificem vt prius condiderit humanum genus quàm quorſum id eſſet conditurus apud ſe decerneret. Quid autem potuit in iis qui nondum exiſtebant contemplari, quo ad hoc vel illud de ipſis decernendum impelleretur? Pertinet igitur etiã hæc quoq; diſceptatio non ad decretum, ſed ad decreti executionem, in qua tamen (vt modò dixi) nulla προσωπολημψία deprehendi meritò poteſt.

Rom. 9. 21 QV. Ergo apud Apoſtolũ nõ intelligis Maſſæ nomine conditũ & corruptum hominũ genus, ex quibus Deus alios decori alios dedecori deſtinet?

IR. *Quin vtroſque illos ex eadẽ corrupta maſſa Deus ſumat ad contrarium finem deſtinatos, dubium non eſt. Dico tamẽ & proſus affirmo, Paulum in illa ſimilitudine aſſurgere vſque ad ſummum illud decretum cui ipſa quoque creatio humani generis in cauſarum ordine ſubordinatur, nedum vt præuiſam eius corruptionem Apoſtolus*

poſtolus præſupponat. Primùm enim Maſſa vocabulo manifeſtè deſignatur materia adhuc rudis, & ad futurum opus dũtaxat præparata. Deinde figulo Deum comparãs Apoſtolus, humanum autem genus maſſæ, exqua poſtea condantur vaſa, procul dubio primam hominum creationem deſignat. Præterea impropriè ſanè diceret ex hac maſſa fieri vaſa iræ. Iam enim eſſent dedecoris vaſa, ſi maſſa illa corruptos homines deſignaret, nec dicẽdus eſſet figulus illa condere, ſed prorſus qualia iã ſeſe feciſſent. Poſtremo ſic non minus eſſet decreti reprobationis, q̃ ipſius decreti exequutionis, id eſt reproborũ damnationis cauſa manifeſta, nimirũ corruptio. Cur igitur Apoſtolus vſq; ad illam arcanã & adorandã potius quàm ſcrutandam Dei voluntatem aſſurgeret, quũ in promptu reſponſionem haberet, & quidem humanæ etiã rationi probabilem?

QV. Cogis me quidẽ in hoc quoque tibi aſſentiri. Sed illud etiam me torquet: Si neceſſarium eſt hoc decretum & immutabile, vti ſanè eſt, quorſum ſeſe fatigant homines? Nam ſiue

bene agant exitio deſtinati, nihilominus pereundum illis eſt : ſiue malè agant vitæ deſtinati, ſeruabuntur.

R. *Ridicula ſanè obiectio, quæ præſupponat quod euenire nũquam poteſt neque poterit. Vnde enim reſipiſcentia & eius fructus? certè à regenerante Spiritu Chriſti, per fidẽ apprehenſi. At ſolis electis vera illa fides datur. Ergo ſoli electi reſipiſcunt, & bonis operibus ſtudent. Reliqui ne cogitare quidem rectè quicquam volunt, nedum vt poſsint, quum à Dei gratia electis propria ſit ipſum rectum velle, & rectum facere.*

Itaque vana etiam eſt eorum vox qui ſe ſeruatum iri dicunt, ſi electi fuerint, cuicunque ſe vitæ dedant. Nam quicunque electi ſunt, filij Dei ſunt : quòd ſi filij Dei, inquit Apoſtolus, ergo Spiritu Dei aguntur. Itaque perire quidem non poſſunt electi, (excideret enim Dei decretum, aut certè mutabilis eſſet Deus) ſed ſicut perire non poſſunt, ita ſuo tempore donati fide, Chriſto inſeruntur, in quo demum

Rom. 8. 14

demum iuſtificati & ſanctificati glorificantur.

Q. Sed perire tamen exitio deſtinatos neceſſe eſt.

R. *Concedo: ſed quia peccatores. Semper enim inter Decretũ & eius exequutionum interuenit peccatum, quod quibuſuis quantumuis querulis os excludet. Quid enim iuſtius eſt quàm Deũ vlciſci peccata? Cui verò adſtricta eſt eius miſericordia? Itaq; non ſoleo ego mirari quẽquam perire, ſed mirari potius tantam eſſe poſſe Dei bonitatem, vt non omnes pereant.*

Q. Quoniam verò medias cauſas ſæpe à decreto illas ordinante diſtinxiſti, vellem etiã eas vtrinque recenſeri.

R. *Deus quum ab æterno decreuiſſet, vt ex euentis intelligi poteſt, in humano potiſſimùm genere gloriam ſuam patefacere, quæ partim in exercenda miſericordia, partim in odio aduerſus peccatum demonſtrando poſita eſt, hominem condidit intus & foris integrum, recta intelligentia ac voluntate præditum, ſed*

mutabilem. Nec enim ipsè summè bonus quicquam mali condere potuit ac voluit. Et tamen nisi malum ingressum esset in mundum, neque misericordiæ neque iudicio locus fuisset relictus. Homo itaque mutabilis, quanuis necessario, si Dei decretum & euentum spectes, tamen sponte & meè contingenter, quod ad principium hominis ipsi inhærens, nimirum voluntatem attinet, sese & suos omnes nascituros peccato ac iræ Dei mancipauit. Inde Dominus prout ab æterno decreuit modò hos modò illos eductos homines, sic ad illos decretos fines, vtrinque glorificandus deducit, vt eos in quorum salute vult gloriam suam patefacere, partim ad vitam æternam statim transferat in suo fœdere gratis comprehensos, partim si vult diutius illos in hac vita versari quo libuit tempore, modo serius, modò citius, efficaci verbo Euangelij vocatos Christo inserat, in quo iustificatos & sanctificatos tandem æterna salute donat: cæteros verò iustæ suæ vltioni destinatos (cui enim debitor est?) vel statim perdit, vel patienter expectans, vt suæ bonitatis

Rom 8.28. & 29

Rom.11.33. & 9.22

non

non ſint prorſus expertes, aut non dignatur vlla vocatione, aut hactenus vocat, vt eo magis ſint ἀναπολόγητοι. Inde fit vt ſeipſos indurent ſuis cupiditatibus relicti, donec completa iniquitatis ſuæ menſura, ad iudicium trãſeant. Hæ verò perditionis reproborum cauſæ quomodo præter decretũ Dei reprobos deſerentis & Satanæ ac ſibiipſis tradentis, ſic eueniant vt tamen tota in ipſis mali culpa hæreat, ſuo loco demonſtrauimus.

QV. Ergo Dominum laudent oportet, miſericordiæ vaſa, & ſeipſos condemnent iræ vaſa. Sed in illa periculoſiſſima particularis electionis tentatione, quò tandem confugiam?

R. *Ad effecta ex quibus ſpiritualis vita certò dignoſcitur, ac proinde noſtra electio, ſicut vita corporis ex ſenſu & motu percipitur. Nec enim qui in huius mundi cœno adhuc volutamur, attollere nos ad illam ſummam lucem poſſumus niſi ijs gradibus ſubuecti quibus ad ſe Deus electos ex æterno illo ſuo decreto pertrahit, vtpote quos ad gloriam ſuam condidit. Electum*

Phil. 2. 13
1. Ioh. 3. 10
igitur esse me primùm ex sanctificatione in me inchoata, id est, odio peccati & amore iustitiæ intelligam. Huic adiyciam testimonium Spiritus meam conscientiam erigentis, sicut dicebat Dauid: Quid tristis es anima mea, & teipsam affligis? spera in Dominо. Et huc spectat seria meditatio beneficiorum Dei, quæ etsi nos de χαριςια nostra simul cogitantes ad tempus terret potius quàm solatur, tandem tamen necessario nos erigit quum in ea semper animaduertantur manifesta gratuiti & immutabilis illius in nos amoris paterni signa non adumbrata sed penitus expressa. Ex sanctificatione ista & consolatione spiritus colligimus Fidem. Inde ad Christū assurgimus, cui quisquis datus est, necessariò est ab æterno in eodem electus, nec vnquam eijcietur foras.

Rom. 8. 15. & 16
Psal. 42. 12

QV. Quid si languida fuerint illa testimonia?

RE. Tunc sciamus nos probari, ac proinde maximè tunc accusandum nostrum torporem, minimè verò desponendos animos sed promissionibus illis indefinitis corroboran-

roborandos, ac regerenda in ipsum aduersarium tela. Etsi enim certamen carnis aduersus spiritum, præsertim quoties fatiscere ac penè extingui Spiritus videtur, magnas conscientijs dubitationes de fidei nostræ veritate ingerit, tamen spiritum hunc quantūuis languidè, tamē verè sese carnis insultibus opponentem, constat esse adoptionis Spiritum, cuius donum est ἀμεταμέλητον. Nam alioqui perire possent electi, & semel iustificati à Christo excidere: vnde consequeretur vel Deum esse mutabilem, vel incertum esse ipsius decreti exitum, quorum neutrum Deo sine blasphemia attribui potest.

Q. At solis perseuerantibus datur corona.

R. *Concedo, & ideo perseuerantiam petit & obtinet quisquis est electus.*

Q. Nunquamne igitur censes Spiritum adoptionis excuti?

R. *Interrumpi interdum fateor in grauibus tentationibus Spiritum, atque adeo sic nonnunquam illius in nobis habitātis testimonia sopiri, vt ad tempus penitus*

Phil. 2. 13. 2. Ioh. 3. 10. igitur esse me primùm ex sanctificatione in me inchoata, id est, odio peccati & amore iustitiæ intelligam. Huic adjiciam testimonium Spiritus meam conscientiam erigentis, sicut dicebat Dauid: Quid tristis es anima mea, & teipsam affligis? spera in Domino. Et huc spectat seria meditatio beneficiorum Dei, quæ etsi nos de ἀχαριστία nostra simul cogitantes ad tempus terret potius quàm solatur, tandem tamen necessariò nos erigit quum in ea semper animaduertantur manifesta gratuiti & immutabilis illius in nos amoris paterni signa non adumbrata sed penitus expressa. Ex sanctificatione ista & consolatione spiritus colligimus Fidem. Inde ad Christum assurgimus, cui quisquis datus est, necessariò est ab æterno in eodem electus, nec vnquam ejicietur foras.

Rom. 8. 15. & 16. Psal. 42. 12.

QV. Quid si languida fuerint illa testimonia?

RE. Tunc sciamus nos probari, ac proinde maximè tunc accusandum nostrum torporem, minimè verò despondendos animos sed promissionibus illis indefinitis corroboran-

roborandos, ac regerenda in ipſum aduerſarium tela. Etſi enim certamen carnis aduerſus ſpiritum, præſertim quoties fatiſcere ac penè extingui Spiritus videtur, magnas conſcientijs dubitationes de fidei noſtræ veritate ingerit, tamen ſpiritum hunc quantũuis languidè, tamẽ verè ſeſe carnis inſultibus opponentem, conſtat eſſe adoptionis Spiritum, cuius donum eſt ἀμεταμέλητον. Nam alioqui perire poſſent electi, & ſemel iuſtificati à Chriſto excidere: vnde ſequeretur vel Deum eſſe mutabilem, vel incertum eſſe ipſius decreti exitum, quorum neutrum Deo ſine blaſphemia attribui poteſt.

Q. V. At ſolis perſeuerantibus datur corona.

R. *Concedo, & ideo perſeuerantiam petit & obtinet quiſquis eſt electus.*

Q. V. Nunquámne igitur cenſes Spiritum adoptionis excuti?

R. *Interrumpi interdum fateor in grauibus tentationibus Spiritum, atque adeo ſic nonnunquam illius in nobis habitãtis teſtimonia ſopiri, vt ad tempus penitus*

à nobis demigrasse videatur: sed nunquam tamen penitus eripi dico, quoniam firmum esse necesse est Dei de suis seruandis decretum, ideóque suo tempore tandem discussis carnis nebulis semper redditur lætitia salutis Domini, Solis instar turbatis electorum conscientijs affulgens. Denique non aliter veram fidem & eius effecta in electis interrumpi dico, vt in ijs qui lethargo laborant, & in ebrijs impediuntur animæ facultates, non tamen anima ipsa tollitur, quum inter lethargum aut ebrietatem, & mortem ipsam plurimùm interfit: æternæ verò vitæ certum pignus habeant qui adoptionis spiritum habent. Itaque in istiusmodi periculosissima luctatione illud ipsum quo nos oppugnat Satan, potest ac debet certam nobis victoriam polliceri. Nisi enim Spiritus adoptionis (qui & sanctificationis & iustificationis & fidei & vitæ spiritus est) in nobis adesset, nullum esset certamen: sed pacatum esset in nobis peccati regnum. Hæc enim vox est hominis spiritu illo non præditi, Facio malum quod volo: non facio bonum & facere nolo. Ista verò regenerati, ac proinde electi,

electi, adhuc tamen luctantis, vox est: Facio malum quod nolo, non facio bonũ quod volo. Me miserum! quis me liberabit ex corpore mortis huius? & hæc eiulans electus simul anchoram figit in ipso Dei Patris throno, quem in Verbo prædicato & sacramentis intuetur. Hæc denique electi iam victoriam plenam in altero seculo adepti vox erit, Facio bonum quod volo, non facio malum, & facere nolo. Rom. 7. 13 & 19. & 25

QV. Quid siquis eiusmodi Spiritus testimonia nũquam in se senserit?

R. *Non est tamen statuendum quòd sit ex reproborum numero. Vocat enim suos Dominus quo tempore ipsi libuit: ac proinde ad Verbum & sacramenta amandandi sunt istiusmodi homines, vbi Deum loquẽtem, & peccatores ad se vocãtem audiant. Horum enim fructum ac efficaciam vt ad tempus non percipiant, hortari tamen seipsos & ab alijs etiam incitari sedulo debent, vt in audienda Dei voce vel inuiti perseuerent, tandem aliquando impetraturi quod adhuc differt Dominus, non vt eos abijciat, sed contrà vt desiderium & solici-*

tudinem ipſorum exacuat.

QV. Vellem igitur de ſacramentis quoque, de quibus præſertim tanta hodie inter Eccleſias contentio eſt, agere inter nos liceret.

R. *Ne hoc quidem recuſo. Sed id tamen aliàs (vt ſpero) commodius fiet. Interim ſi tibi in ijs quæ percontatus es ſatisfactum eſt, planè gaudeo, & hæc ſerio dies ac noctes mediteris velim.*